6.

# JOHANNIS FANTONI
# COMMENTARIOLUM
De quibuſdam Aquis Medicatis,

ET

# HISTORICA
# DISSERTATIO
De Febribus Miliariis.

AUGUSTÆ TAURINORUM

EX TYPOGRAPHIA REGIA.
M. DCCXXXXVII.

Digitized by Google

# DE QUIBUSDAM AQUIS MEDICATIS COMMENTARIOLUM.

Aquarum mineralium fontes compluribus in locis ſcaturiunt, quæ ad Sabaudicam, & Pedemontanam Ditionem pertinent: cujuſmodi ſunt Aquæ Gratianæ, Maurianenſes, Valderianæ, S. Geneſii, & Statiellæ; ac ſuper hiſce ſingulis noſtrarum obſervationum ſpecimina in publicum prodierunt. De tribus, quæ reſtant, præcipuis nunc ſermo eſt, Vinadienſibus, Auguſtanis, & Anſionenſibus; quæ trinæ inter ſe principiorum natura, & manifeſtis qualitatibus differunt. Primæ ſcilicet præcalidæ magna vi ſulphuris excellunt: alteræ; paullulum caloris habentes, in Acidulis numerantur: tertiæ prorſus frigidæ, ac ferrugineæ ſunt. Ita de Aquis noſtratibus, quarum frequentior eſt uſus in mor-

bis, hoc reliquum ſpecimen cenſendum eſſe tamquam operis complementum videtur. Nam alii quidem medicati fontes reperiuntur, ut in Alpino tractu Nicienſis Comitatus, nempe ad Vicum *Roccabigliera* vulgo nuncupatum; qui modice calidi, & ſulphurati eſſe dicuntur, vix aliquantulum ſalſi: attamen iis conſervandis curam non adhiberi, neque ad eoſdem fieri concurſum ægrorum accepimus. Nonnulla porro in Sabaudicis regionibus prædicari ſolent aquæ minerales*, quarum natura, & medicinalis virtus nondum ſatis explorata eſt: aliæque commemorantur antiquitus ad balneum uſitatæ, ſed longi temporis decurſu magis ac magis neglectæ, & denique exoletæ. Propterea nihil opus erat, ut de talibus aquis hoc loco ſermonem haberemus. Illud utique denunciandum exteris putavimus, (quis enim ex noſtris hominibus id neſciat?) quæ ad Foſſanum Balnea valde ſalubria eſſe affirmat Hubnerus in altero Geographiæ Univerſalis volumine, nulla omnino ad idem iſtud Pedemontii oppidum inveniri.



* Hujuſmodi ſunt in Sabaudia proprie dicta, non procul a Monmeliano, Aquæ vulgo *de Ribaud*; *de la Ferranche*; *de la Rôchette*: atque in Gebennenſi Tractu Aquæ *de Menthon*, ſive *de Taloire*. Super hiſce ſingulis Taurinum advectis phyſica quædam experimenta fecimus. Verum a peritis viris, qui eaſdem, & maxime ferrugineas in loco ipſo diligenter obſervaverint, idonea documenta expectare licet.

# DE AQUIS VINADIENSIBUS.

VINADIUM Cuneenſis Provinciæ pagus eſt, in regione montana poſitus, a quo millia paſſuum amplius tria remoti ſunt fontes ſaluberrimi, uſque a priſcis temporibus cogniti, & Vinadienſes denominati. Scilicet a montis radice, ubi convallis eſt, calidi, & ſulphurei prodeunt, quorum alter ceteris calidior, immo fervidus, majoremque ſulphuris nidorem exhalans, ligneo canali ad balnearia, & *ſudatorium* perducitur: alter minus calens, neque ita palato injucundus, ad potum adhibetur. Pellucidus uterque non acida, nec manifeſte ſalſa, ſed una prævalente ſulphurea qualitate ſenſum afficit. Alia inſuper aqua præcalida ad eum locum confluit, ubi ſubmerſum aſſervatur lutum; ibidemque lenis ebullitio quædam extrinſecus apparet, ſubſilientium calidorum etiam fonticulorum indicium, qui lutum ipſum penetraverunt. Reliquas autem ſcatebras, quarum minimus, ac prope nullus eſt uſus, hic omittendas eſſe duximus. *



* VIOTTUS de fonte quodam ferrato mentionem facit, † qui ad artus roborandos, ne abſoluta curatione redeat arthritis, mirabiliter conferat; idque ab experiente Medico ſe accepiſſe ſcribit. Sed talem, ac tantæ efficacitatis fontem, qui nobis ignotus eſt, nec priſcis temporibus exſti-

Aquarum defluentium rivuli mucoſas, & pingues inter ſaxa particulas deponunt: hæ ſenſim conglutinatæ in ſubſtantiam excreſcunt mollem, ſpongioſam, ſubviridem, & ſubflavam, digitum fere craſſam, quæ vulgo *muffa* nuncupatur; eamdemque ad aliquod non mediocre ſpatium perfluentes aquæ ſupereminent. Ejuſmodi ſubſtantiæ multas portiones, prius in ſole ſiccatas, vir quidam Vinadio redux ad me olim pertulit, quæ valde contractæ, ac tenues erant, virente colore fuſco: aliæ ad candelæ lumen admotæ crepitabant, igneſcebant, flammulamque, & levem ſimul odorem ſulphuris emittebant, donec penitus exuſtæ in pauculum, & ſubnigrum cinerem abirent: alias aquæ communi biduo infuſas reliqui; factæ ſunt craſſiores minimum ſexies, putridum quiddam exhalantes; ejuſdemque illius putris aquæ unctuoſa ſuperficies apparebat. Atque id etiam adnotare libet (tametſi exigui momenti res agitur) experimenta, quæ modo diximus, duodeviginti annis poſtquam aridæ *muffæ* ad meas manus pervenerunt, talem omnino eventum habuiſſe. Sed nihil profecto in hiſce Aquis evidentius, quam copia ſulphuris

tiſſe arbitramur. Nam ea veterum Medicorum conſuetudo fuit, ut opinione potius, quam certis experimentis adducti, metalla quædam, & vires eorum qualeſcumque medicatis aquis tribuerent.

† V. Opus Auctoris *De Balneor. Nat. & Virib. cap. de Balneis Vinadi.*

phuris, natura fugacis: demerſum enim argentum nitidiſſimum denigrant, cujus tamen color nativus metalli ab eiſdem paullum fervefactis, aut ſoli aliquandiu expoſitis, non immutatur. Iſtæ nimirum volubiles in aquis partes ſulphureæ facile avolant, & interim iis, in quæ inciderint, corporibus adhæreſcunt; præſertim vero cum pinguedineis quadam velut affinitate conſociari videntur. Ita ex ingenuis viris, qui ad Vinadienſia balnea diu conſtiterant, quondam audivi cum dicerent, ova gallinacea igne excocta ad duritiem comedentes, odorem vitelli certe ſulphureum ſe percipere ſolitos fuiſſe; id quod aquæ thermali tribuendum putabant, ad quam potitandi cauſa accedentes oviparas aves interdum ipſi vidiſſent. Nam & plures quadrupedes, in primis Rupicapræ, Equi, Boves, admonente ſiti, ad calentes rivulos, niſi ferveat anni tempeſtas, adire conſueverunt; quin etiam aliqui anhelitu laborantes Equi per aſſiduum ejuſmodi potum ſanati eſſe dicuntur. Homines ibi commorantes etſi ad alium quemcunque uſum frigidas adhibere ſolent, quarum fons limpidus, bibendo ſuavis, ab ædibus balneariis non longe abeſt; tamen ad ſapidi panis confectionem utuntur calidis. Et præcipuam quidem cauſam, cur aquam thermalem, ut modo diximus, animantes appetant,

in ſaporem quemdam hujuſce laticis ſubſalſum referendam eſſe arbitror, quem ipſæ ſuo peculiari guſtatu percipiant. Aliquis enim revera ſal ineſt huic aquæ ſulphureæ; quandoquidem ejus portio ſalis per ſe ab eadem perfluente ſecedit, ubi finitima inter ſaxa terramque ſenſim congeritur: ibidem vero per æſtivos dies recenter ſepoſitum fruſtra quæſieris, cujus nempe ab aqua decedentis concretio brumali tantum, non alio anni tempore, perfici poteſt. Talis igitur concreti ſalis acervus cum aliquando mihi allatus eſſet, ea copia colligi eumdem potuiſſe minus admirabar; quod longo temporis ſpatio (eſt enim alpina regio illa perdiu frigida) is paullatim accumuletur: cum alioqui paucum in aqua ipſa contineri per evaporationem cognoverim: nam grana ſalis quinque, raro ſex a libris aquæ ſingulis relinquuntur: eam ſcilicet igne leni evaporandam curavi, quæ ad potum adhibetur. Albidus hic ſal, terræ partibus vix ullis admixtus eſt, ſapore quodam inſtar cibarii ſalis acuto. Cum acidis liquoribus non efferbuit. Aqua communis eo ſale ſatura nullam inter initia, tum aliquantulam viriditatem ſyrupo violarum lente induxit. Eadem infuſa in ſolutionem ſacchari ſaturni modicum quiddam tardiſſime dejecit: addita vero ad ſolutionem argenti albam illico materiam

coe-

coegit, ac deturbavit. Quid plura? concreti ſalis fragmenta in candentes carbones injeci: admodum illa crepitarunt, ac minutatim diſſiluerunt; ut idem propterea ſali communi ſimillimus videatur.

Præter ejuſmodi ſalem, & ſulphuris copiam, ceterorum veſtigia foſſilium in Aquis Vinadienſibus deprehendi minime potuerunt: quamquam RAINAUDUS & nitrum in iis exiſtere, & alumen, & vitriolum firmiſſime aſſeveret *. Ad ipſarum enim ſcaturiginem facto per heliotropium, itemque per gallam experimento nulla penitus mutatio, vel multis poſt horis, apparuit: ita ut eædem carere tum aluminoſo, tum maxime vitriolico ſale videantur. Sediminis autem, quod ab iſtius laticis evaporatione relinquitur, probe ſiccati, atque in ignem projecti qualemcumque fremitum pro indicio nitri fortaſſe RAINAUDUS, & alii quondam Medici habuerunt. Arbitrari quidem licet aquis thermalibus ineſſe principia quædam ſubtiliſſima, & volatilia, ut ideo efficaciores illæ cenſeantur, quo propius ad fontem bibuntur: ſed ea nos elementa perquirimus, & certiſſima reputamus, quæ ſenſibus attingi, ac demonſtrari poſſunt. Ceterum unius attenuati ſulphuris, totoque latice diffuſi

* V. Auctoris librum, qui inſcribitur *De Bagni di Vinaglio Tratt. 2. cap. 4.*

fuſi, & cum illo, quem indicavimus, modico ſale conſociati, egregia ſane virtus eſt in Thermis Vinadienſibus. Ad ſolvendos autem lentores, abſtergenda atque expurganda viſcera qui paulo acriorem medicinam requirunt, hi percommode, ut moris eſt, marinum ſalem aquis adjiciunt. Quamquam ipſa hæc vetus, & communis omnium conſuetudo minus probanda videtur: cujuſvis enim temperamenti ſimul & morbi ratio habenda eſt. Scio nonnullis in eum vulgarem modum inchoatam curationem valde moleſtam fuiſſe, quæ poſtea, cum ſolis iidem aquis, vel addito ſubinde nitro uterentur, proſpere procedebat: nulla jam ſitis, dejectiones moderatæ, fluxus urinæ uberrimus. Tametſi aliis e contrario eveniſſe meminimus, ubi maxime viſcerum motrices fibræ torperent, primæque eſſent corporis viæ lento humore impeditæ: hi primis diebus ignavas & inertes aquas graviter ferentes, deinde admixto eis ſale & cibum magis appetebant, & opportune recrementa, magnoque cum levamine expellebant. Nec vero admodum credibile eſt ejuſmodi conſuetudinem antiquitus a Medicis inductam fuiſſe, qui nempe electuaria, pilulas, ſyrupos, cetera ex officinis medicamentariis petenda in medium protuliſſent. id potius excogitatum a ruſticanis hominibus exiſtimo, qui ſalem com-

communem in promptu habere, ac pluris facere ſoliti ſunt; ipſique etiam primi, ut opinor, alpinam, atque deſertam regionem illam inviſentes, novis ibi fontibus detectis, manifeſtas eorumdem qualitates curioſe obſervarunt, deinde virtutes ad mala quædam corporis ſuopte ingenio exploraverunt. In aliis quibuſdam regionibus, præcipue montanis, ubi aquæ calidæ reperiuntur, ex vetuſto quoque more ſal communis eiſdem bibendis admiſcetur: quem propterea morem vix mihi dubium eſt, quin exploratores primi ſalubrium ipſorum fontium indigenæ ad uſum medicinalem ſimili ratione traduxerint: quemadmodum inter omnes conſtat, diverſi generis remedia, paratu facilia, quæ in variis terræ locis vel incultis, atque aſperis natura gignit, ab agreſti & ruſtica gente ſagaciter inventa eſſe, utiliterque ad plures morbos adhiberi. Sed redeamus ad vulgarem uſum noſtrarum thermalium. Ægri curriculum potationis aggrediuntur ducto initio ab aquæ libris ferme duabus; & primo ſaltem poculo addunt ſalem marinum cochleari menſura; inde plus bibere, & gradatim pergunt in dies ſingulos, donec ad ſummam aquæ doſim pervenerint, octo nimirum, vel decem librarum pondo definitam: tum gradibus pariter ab ea recedentes ſaccharum ple-
rique

rique ſubſtituunt ſali: atque hæc ſpatio novem dierum perfici ſolet curatio. Summam doſim illam, ut imbecilli homines attingere nec debent, nec facile poſſunt; ſic alii ætate & viribus valentes prætergredi volunt, ita ut ducentas nonnulli, immo trecentas interdum uncias exceſſerint. Sed aliqui & diutius, quam conſuetudo ferat, & ſatis copioſe bibunt non intermiſſo ſtimulo ſalis. vere enim contumaces quidam morbi efficacem ejuſmodi medicinam poſtulare videntur, ſi modo hanc ipſam ægroti ſine gravi moleſtia ſuſtinere queant. Memini robuſtum virum, carnoſo & ſubpingui corporis habitu, quondam iſchiade afflictum, poſtea frequenti podagra, tum vero etiam continuo cibi faſtidio, viſcerum obſtructione, tibiarum œdemate laborantem, ad Vinadienſes Thermas ſe contuliſſe: hic bene ſuſceptam curationem ita proſecutus eſt, ut minime dubitaret longiori tempore pocula permulta quotidie exhaurire, cum perpetua ſalis additione: commode per alvum, & renales vias aquæ ſecedunt; appetitus reviviſcit; mala cetera miteſcunt: deinde balneo per dies plurimos, tum ſtillicidio utitur, & luto; nec denique *ſudatorium* prætermittit. hiſce omnibus ordinatim, ſtrenue, ac toleranter peractis, meliore admodum valetudine, hilaris ac læ-

tus

tus in patriam redivit. Altero autem anno; itemque tertio ad Aquas magna fiducia profectus tantum revera ex iis, quantum ſperare potuerat, fructum retulit, ut acceſſiones quoque podagricæ in reliqua ejus ætate rariores eſſent, multoque mitiores: illuc interea longis intervallis revertebatur, moderato potu contentus: & cum a medio fere Junio, propter conditionem loci, concurſus fiat ægrorum ad Balneas; ipſe Septembri, cum propitia incideret anni tempeſtas, ibi eſt, aquas bibendo, citra incommodum immoratus. Sed generatim curationem ſic inſtituere tutius eſt, ut deſinente Auguſto illinc, re omni abſoluta, diſcedatur. Namque in eo tractu aura frigidula vel æſtivis menſibus identidem ſpirat, a qua cavendum eſt iis maxime, qui balneo utuntur. Ac bene ſibi proſpiciunt, qui famulatu, & idonea ſuppellectile inſtructi privatim domi lavant, quod a communibus lavacris, ob eam cauſam, reditus in diverſorium periculoſus ſit. Et multo quidem major adhibenda cautio eſt ab uſu vaporarii, ubi præcalida & continua exhalatio efficit, ut brevi tempore totum ægri corpus immodicis ſudoribus perfundatur. quamquam enim is bene abſterſus, & ſiccatus placide ac ſatis in lecto requieverit; ſi tamen inde e conclavi protinus exeat;

gra-

gravem noxam, interveniente aeris intemperie, percipiet. Actuoſum profecto & valentiſſimum id remedii genus eſt ad rheumatiſmum, iſchiadem, paralyſim, articulorum affectiones, ceteras pertinaces, potiſſimum a frigidis, ut vocant, humoribus progenitas. Atque hæc per viam vaporis curatio paucis diebus peragi ſolet: altera vero etiam efficax per illutationem longius producitur. Primo quidem ad Vinadienſes Thermas, ubi lutum hodie reperitur, ibi nullum fuiſſe dicitur; poſtmodum indigenæ ſepimentis exſtructis in medium concavum ſpatium idoneam terram deportaverunt: itaque illorum hominum induſtria mirabiiiter ad ipſam ſe adjunxit naturam: ex tali enim terrena materia, fervidis aquis ſulphureis, quo modo diximus, aſſidue imbuta & ſatura comparatum eſt egregiæ virtutis lutum, cujus maſſam quoque omnem exuberantes aquæ ſupereminent. Porro ad illud ſupplendum, quod temporis diuturnitate abſumptum in curandis ægrotis, vel caſu aliquo diſperſum fuerit; interdum eo deferri cujuſdam cretæ portionem intellexi olim ex ingenui viri narratione, qui ſæpe ad Thermas profectus multam cum balneorum miniſtris conſuetudinem habuerat. Utcumque res ſit, explorata jampridem iſtius luti virtus & plane cognita eſt, ut nihil opus eſſe

in

videatur plures in hunc locum obſervationes adducere. Sed illam minime prætereundam puto, quæ amplius octoginta ab hinc annis OLAO BORRICHIO renunciata ( dum ipſe, in Italiam iter faciens, paullum eſſet in hac urbe commoratus) maxime rara, & commemorabilis viſa fuit; adeo ut idem vir doctiſſimus eam litteris conſignatam reliquerit *: *Marchio*, inquit, *de Pianezza*, *Muſarum & Charitum delicium*, *cujus humanitatem & virtutes Auguſtæ Taurinorum prolixe expertus ſum*, *longa impotentia dextri brachii afflictus*, *ſuaſu Protomedici Torrini conceſſerat ad Thermas Vinadienſes*, *ibique luto calente in tertium uſque menſem quotidie perfrictus a Chirurgo* BORELLO, *in gratiam cum ſanitate rediit*, *ſingulari fricantis etiam Chirurgi emolumento*. *Hic enim poſtquam triginta tum annis digitum incurvum circumtuliſſet*, *nullo non fruſtra adhibito remedio*, *inciſis in maximo quodam cum Turcis conflictu tendinibus; hic*, *inquam*, *dum alii vacat curando*, *ſenſit paullatim ex limo medicato calorem nativum recreari*; *hinc ultra ſolitum digitum exporrigi ſine dolore*, *tandem plane reſtitui*, *quem & ſanum*, *exporrectumque mihi oſtendit*, *ſola relicta cicatrice ampliſſima*. Hactenus BORRICHIUS. Profecto impotentis jamdiu brachii ſanatio illa notatu digna eſt, in

* *V. Medic. Septentrion. Collat. Tom.* 2. *pag.* 855.

in efficaci quidem, ſed ad tertium uſque menſem continuato medicamine poſita: id quod in pleriſque hominibus, & prope omnibus, factu difficillimum; in prænobili, & opulento, &, quod longe maximi momenti eſt, ſapientia doctrinaque ornatiſſimo viro facile fieri potuit. Ob eam quoque cauſam, videlicet ægroti conſtantiam in adhibendo remedio, vel eidem ipſi nihil tale opinanti Chirurgo proſpere evenit: cui lutum octies aut decies, ut multorum mos eſt, affectæ parti applicitum vix quicquam profuiſſet; longo autem ſpatio temporis pedetentim & gradatim res ad ſalutem proceſſit: recreari nativus calor cœpit; deinde digitus aliquantulum exporrigi, qui denique omnino eſt reſtitutus. Porro id genus morbi adeo inveterati fortuita curatio ipſos artis magiſtros docere videtur, quaſdam ægritudines natura ſua, vel diuturnitate quodammodo inſanabiles, a congruente remedio patienter, & placide adminiſtrato, poſſe aliquando percurari. Namque, ad illutationem quod attinet, alterum peccari ſolet, quod feſtinanter in curatione procedatur; alterum, quod nimis calidum lutum uſurpetur. Cautiſſime hi faciunt, qui præſertim ab initio temperatum imponi laborantibus membris jubent: ac tale propemodum eſſe dicitur in foſſa limum

ſupe-

ſuperius; reliquum æſtuoſum quod ex profundo extrahitur, ita ut a nonnullis vix aut ne vix quidem tolerari queat. Ceterum de ſanato digito Borelli, inter noſtrates celebris olim Chirurgi, dubitare quiſquam poteſt, an inciſa fuiſſet in totum pars tendinoſa, an vero ſaltem aliquatenus; id quod multis fortaſſe vero ſimilius videbitur. Sed quantulacumque demum iſta ponatur inciſio, ejuſmodi certe fuit, quæ poſt inductam vulneri cicatricem, eamque, notante Borrichio, extrinſecus ampliſſimam, nullo modo aptum ad porrectionem digitum perpetuo reddiderit; ut eidem propterea vis illa movens, unius tandem luti auxilio reſtituta, ſingulare quiddam, & admirandum jure optimo reputetur.



Digitized by Google

# DE AQUIS AUGUSTANIS.

TArantaſiæ finitima eſt Auguſtani Ducatus regio, ubi Minerales Aquæ ſcaturiunt, haud procul a Curia Majore; qui pagus ab Auguſta Prætoria ſexdecim fere milliariis diſtat. Duæ ſunt autem præcipuæ ſcaturigines, quarum alteri *Victoriæ*, alteri *Margaritæ* nomen a majoribus noſtris impoſitum fuit.

Aqua *Victoriana* tepens ac limpida eſt, ſubſalſo acidulo ſapore, quæ ſtatim hauſta ex fonte halitum quemdam dicitur, nares titillantem, emittere. Ubi eadem primo excipitur & congeritur, contiguæ terræ ac lapidum ſuperficiem ſubrufa materia, velut ochra paullum torrefacta, obducit; indeque profluens alia dimittit ſedimina, quæ toſaceas albicantes, alicubi ſubrufas, maximeque cineraceas concretiones efficiunt: ſed inter eas aliquæ nativo tufo duriores, & minus cavernoſæ ſunt. Ab aqua etiam in vaſis repoſita diverſæ complures particulæ, quaſi recrementa, paullatim vi ſua decedunt. Etenim in ea, ceteroqui pellucida, quæ anno 1725 circiter medium Auguſti ad nos diligentiſſime perlata fuit, albida paſſim corpuſcula

puſcula, flocculorum inſtar, conſpiciebantur: cujus aquæ plena cum in loco ſubterraneo lagena diu permanſiſſet, ad hujus fundum, & latera frequentes hærebant albidæ ac tenues cruſtæ, præter majuſculas ex eodem genere duas, quæ plane ſubſiderant. Poroſæ admodum lamellæ hujuſmodi omnes acrem ſaporem vix ullum habebant, ac dentibus contritæ aliquantum crepitabant. Decennio poſt aqua ſub finem Julii menſis recenter huc advecta conicum ſcyphum replevi, apertumque dies aliquot ſepoſui: facta eſt in ſumma ejus ſuperficie, perinde ut in aqua calcis, pellicula ſubtilis, quam ſaporis expertem inveni. Sed ipſo quoque latice repletam lagenam cum biennio aſſervaſſem domi, ac demum apertam in ſole æſtivo collocaviſſem, paucis poſt diebus ſupernatantia lamellarum ſegmenta diverſæ amplitudinis apparuerunt. Eamdem hanc aquam una cum talibus ſegmentis, & ceteris excuſſis, quæ vaſi affixa erant, percolavi; atque in colo chartaceo materia ſatis multa, terreſtris, & prope inſulſa remanſit.

Omnino autem ex aquis *Victoriani* fontis leni igne evaporatis ſedimenti ſcrupulum circiter unum pro ſingulis aquæ libris colligebam. Ex albida id materia conſtat, acuto ſapore; nam ſalis partem minimum ſex-

tam continet, ut habitis per lixivium experimentis cognovi; atque hic a terrea ſubſtantia ſecretus, bene ſiccus, multiplici licet charta incluſus, facile humeſcit. Sali inſtillatus chalcanthi ſpiritus leniſſimum quemdam fermentationis motum excitat, fortaſſe ob aliquas terræ partes ad ſalem ipſum, haud penitus expurgatum, adhuc hærentes. Ejuſdem ſolutioni adjecta ſolutio mercurii ſublimati albidum liquorem efficit; additoque ſaccharo ſaturni magis albeſcit liquor; deinde coaleſcentes albæ particulæ, gravioreſque factæ, ſedimen in fundo vaſis conſtituunt; ex una vero alteraque gutta ſolutionis argenti uberior ſubſidentia, & breviori tempore contingit: atque hæc naturam ſalis foſſilis indicare videntur. Quæ autem a ſedimento aquarum ſejuncta fuit terrena & pane inſipida materies, a ſpiritu vitrioli continuo fermentatur; item a ſpiritu ſalis, multæque, & amplæ ſimul bullæ exſurgunt. Sed alcalinæ indolis quiddam in ipſis etiam aquis per admixtionem ſyrupi violacei patefactum eſt: quamquam enim color non ſubito immutetur, tamen paucis horæ momentis ſubviridis, & gradatim viridior apparet. Inſuper ab affuſo guttatim acido ſpiritu commotio quædam excitatur; unde frequentes in aqua fiunt bullulæ, quæ ſummam ejus ſu-

perfi-

perficiem celeriter petunt. Et quia res aliæ facile ad alias mentem revocant, idem quoque explorare libuit in ea terreſtri materia, quam naturaliter ſeparari ab aquis defluentibus, & ſenſim lapideſcere dicebam. Nempe hujuſce tofi ſolido ſegmento inſtillavi ſpiritum vitrioli; & confeſtim exorta eſt lenis fermentatio, quæ diu perduravit. Porro autem in alio ejuſmodi fragmine pulverato gutta ejuſdem ſpiritus magnam illico ebullitionem commovit, intereaque majuſculæ paſſim bullæ in ſublime ferebantur.

Sed quamquam hæc toto latice diffuſa eſt materies alcalica, tamen in eodem ipſo nihilominus liber, ac velut intactus manet ſal quidam acidulus, quippe qui guſtatu haud obſcure percipitur, tum idoneo experimento demonſtratur. Namque ab infuſa heliotropii tinctura in aquis recens e fonte hauſtis coccineum, & in tranſvectis ſaltem rubellum colorem protinus liquor accepit; quem in aperto calice cum ad poſterum diem data opera ſepoſuiſſem, color is in purpureum deſcivit: quemadmodum per additionem heliotropii dumtaxat purpureus cernitur, ſi pridie aqua in patulo vaſe repoſita fuerit. Per æſtatem anni 1735, quinto poſt die quam aquæ huc perlatæ fuerant, cum ſæpe lagenam ad eas explorandas aperuiſſem,

tum fere ad dimidium depletam, nec ſatis bene occluſam reliquiſſem; exactis poſtmodum horis quindecim ſuperſtitis aquæ portio altera cum heliotropio colorem ſubrubellum exhibuit; in altera vero, quam decem inde alios dies ad renovandum experimentum ſervaveram, purpureus tantummodo, & fere violaceo ſimilis color apparuit; qualem in aqua me obſervaſſe memini, quæ ad unum pluresve annos in lagenis accuratiſſime obturatis permanſerat, atque his quidem in ſubterraneo loco repoſitis: tametſi eadem plerumque limpida, & levis cujuſdam ſaporis ſubacuti etiam tum particeps quodammodo eſſet. Neque id tamen omittendum eſt, aliquando repertam fuiſſe in lagenis nonnullis rite occluſis aquam translucidam, quæ nihilominus halitum quemdam inſuavem, quaſi ſulphureum, exhalabat. In hac autem ipſa æque ut in alia ex eodem fonte deſumpta, quæ nihil quicquam olebat, biduo immerſus nummus argenteus innatum colorem ſuum retinuit. Argentum quoque foliatum aquæ ſuper ignem evaporanti impoſitum fuit uſque eo, dum totus pæne humor abſumptus eſſet; neque metalli color immutatus eſt. Semel accidit, ut collocato vitreo vaſe tum in umbra, tum in ſole, nummus aqua ſubmerſus aliquantum alboris amiſerit. Ceterum memo-

memoriæ teneo plenam lagenam, exquiſite obturatam, amplius novem annos me aſſervaſſe in cella ſubterranea; aquam vero inveniſſe limpidam, modici ſaporis, quæ nihil injucundum, nihil odori ſulphureo ſimile habebat.

Sed in aquis etiam *Victorianis* num quid ferrugineum contineatur, aliquoties indagandum putavi. Sunt enim qui ab indita galla confeſtim eas colore violaceo, poſtea ſubnigro infectas ſe vidiſſe mihi affirmaverint, quin immo litteris prodiderint. Hi ſcilicet experimentum ad ipſas ſcaturigines optabili exitu fecerunt: ſed mihi non ita evenit, ſæpe experienti in aquis diligenter ac recens, diverſoque anni tempore in hanc urbem advectis. Etenim cum gallam pulveratam adhiberem, initio facta eſt mutatio nulla; deinde ſublimis apparebat nubecula; paucis poſt horis in toto liquore disjectæ cernebantur concretiones, ad fundum vaſculi lapſu lentiſſimo accedentes; tum ſubvireſcere liquor incipiebat, & ſaturam denique viriditatem conſequebatur. Aquis autem adjecta gallæ tinctura, poſt horas circiter duas, magnam turbationem inferebat; hinc plures undique diſperſi flocculi, eorumque nonnulli cito ſubſidentes: elapſis horis quindecim vaſculum denuo inſpiciens, corpuſcula quædam

in liquore turbido & viridi ſparſim innatantia, quædam ſedimentum conſtituentia, reperiebam. Atqui concretiones ejuſmodi, viridemque colorem in aquis medicatis efficere ſolet galla, in quibus alcalicum quiddam terreſtre, vel ſalſum contineatur. Sed unum tandem experimentum in *Victorianis*, ſub æſtatis finem huc allatis, melius aliquando ſucceſſit. Nam licet ab infuſa gallæ tinctura nihil inter initia immutaretur color, poſtmodum ruſſeus ſenſim apparuit, & paullo magis poſtridie, cum turbidus eſſet liquor; quem octo elapſis diebus adhuc turbulentum, colore bætico, inveni. Itaque ex iis omnibus, quæ dicta ſunt, præclare intelligitur, aquis procul a ſcaturigine tranſvectis, quantum volatilis illius ſpiritus evaneſcat; ſimul vis ipſa elementi martialis, vel, ut aliqui volunt, vitriolici, quam valde imminuatur.

Hactenus de *Victoriano* fonte: ad alterum veniamus, cui *Margaritæ* nomen datum fuiſſe diximus. Hic pellucidam & aliquantum calidam aquam ubertim emittit, quæ ſubacuto, & nonnihil etiam acidulo quodam ſapore ſenſum afficit. Initio profluentem illam excipit ligneus canalis, qui rufa & molli materia terreſtri oblinitus cernitur: collectum ejuſmodi recrementum, cum exaruit, friabile eſt, & ochræ pauliſper torrefactæ ſpeciem ex-

exhibet. Ubi aqua ligneum canalem prætergreſſa eſt, ſimili ſedimine, ſed paullo minus colorato, & minus molli terrenus alveus, & ſparſi per hunc lapides obducti ſunt; atque illud idem, prout aquæ mineralis rivus ad exitum ſuum appropinquat, magis concretum, & compactum invenitur. Talis materiæ portionem ex memorato canali deprompæ ſimul cum aqua communi agitabam in vitreo vaſculo, tum vitrioli ſpiritum inſtillabam: ſtatim oborta eſt fermentatio, quæ amplius horas duas perduravit: interim extricatæ hinc & illinc a ſubſidente materia complures particulæ in ſublime ferebantur: abſoluta omni commotione liquorem transfudi rubellum & pellucidum, terra ſuperſtite, coloris maximam partem luteoli, minimam ſubcinerei. Atque acidi quidem ſpiritus cum hac una terræ portiuncula cineracea conflictus fuit, neque omnino ullus cum ea rufa & copioſa materia, utpote quæ ad experimentum ſeparatim adhibita nullo pacto fervebat; perinde ut ipſa communis ochra nihil ab eodem acido liquore commovetur. Illa igitur ſubſtantia, quam ochræ paullum torrefactæ, coloris cauſa, comparavimus, intermixtas partes aliquas ex alio genere terrenas, & alcalicas continet, ab eodem ipſo fonte profectas. Aqua enim ca-

lore

lore modico evaporata ſedimentum reliquit albidum, cujus quantitas tertia parte minor erat, quam reſidui ab evaporatione *Victorianæ*: & paullo etiam minus acuti ſaporis mihi viſus eſt ſal elicitus per lixivium, qui ſeptimam tantummodo ſediminis partem conſtituebat. Sali guttatim affuſus chalcanthi ſpiritus lenem commotionem facit. Terreſtris autem a ſale ſejuncta materies, iterum lota, ſiccata, & prope inſipida, cum aceto diſtillato protinus confligit; atque in eadem ſpiritus vitriolicus fermentationem cum aliquo fremitu & bullulis excitat. Sed in aqua ipſa hujus fontis, ut de *Victoriana* meminimus, alcalicum quiddam, adjecto ſyrupo violarum, deprehenditur: liquor enim aliquot poſt horis viridem colorem acquirit.

Noſtræ vero expectationi minus reſpondit experimentum, quo acidus ſal, ſi cuipiam ineſt liquori, demonſtrari ſolet. Nimirum aqua illico hauſta de ſcaturigine quamquam ab heliotropii pulvere inſperſo bene rubicunda fiat, quemadmodum ab experiente viro accepi; tamen in eadem ad nos allata (id quod ſemel & iterum exploravimus) ne leviſſimi quidem nota ruboris apparuit. Tametſi per eam ſulphuris tincturam, quæ cum viva calce paratur, continuo liquor omnis lacteſcebat, graviorem que odorem ſulphureum

reum exhalabat: hoc videlicet probabile indicium eſſe poteſt reſidui cujuſdam ſubacuti ſalis, qui etiam acidi particeps bibentibus nonnullis videtur. Nec porro cum aquis huc advectis gallam permiſcendo colorem illum cernere mihi licuit, ſive violaceum, ſive nigrum, quem aliqui aſſeverant juxta fontem ſe conſpexiſſe. Namque ab affuſa gallæ tinctura nihil primo die immutatus eſt liquor; poſtridie mane vireſcentem, veſpere ſatis viridem reperi. Ex terreo quidem & alcalico ſedimine quoddam veſtigium ſubſtantiæ martialis deprehendere aliquando viſus ſum. Etenim cum albidam primum terram illam aquæ communi, deinde tincturam gallæ adjeciſſem, magis turbidum liquorem fieri, & paullatim fuſcum animadverti: poſt aliquot dies cum prope omnis humor æſtivi ſolis calore evaporaſſet, reſiduum in fundo calicis atrum inveniebatur, atque illius tota ſuperficies concolori craſſamine obducta. Sed idem fere evenit, cum ad vivæ calcis ſolutionem tinctura gallæ adjecta fuit: poſtquam enim humor ſenſim totus evanuit, in radio ſolis collocato vaſe, ad hujus latera, & fundum hærebat nigra materies, quæ derafa quaſi fuliginem repræſentabat. Aquæ Auguſtanæ ſedimentum terreum, bene ablutum, ſiccatum, & torrefactum, ex eo etiam

cum

cum terra calcaria ſimilitudinem habere aliquam videbatur, quod amaritudine quadam guſtatum afficiebat, ut eadem calx illa, quam ad experimenta delegeram, id eſt calcem vulgo fortem a noſtratibus appellatam.

Quæcumque vero alia peculiaris natura ſit terrenæ & ſubſalſæ materiæ, particulatim diffuſæ in aquis Auguſtanis, veriſimile eſt in eodem iſto principio maxime poſitam eſſe vim abſtergendi viſcera, & alvum ſubducendi: qua nimirum facultate *Victorianæ* ob talis materiæ majorem copiam alteris excellunt. Eademque vis illa idcirco minor eſſe ſolet in aquis longe tranſvectis, quia ſenſim ab his terreſtres particulæ ſecedunt, quas partim lagenis adhæreſcere, partim ſubſidere diximus. ad vias quidem renales utriuſque fontis aquæ, procul etiam translatæ, facilem plerumque aditum habent. Omnino autem noſtrarum efficacior virtus eſt, ſicuti ceterarum prope omnium, ſi proxime ſcaturiginem bibantur. Quibus vero ægrotis Auguſtæ Prætoriæ immorari opus eſt, hi novis identidem & nocturno tempore advectis commode uti poſſunt: ita ſcilicet earum ſubtilia & actuoſa elementa non adeo multa evaneſcere ſolent. Ceterum haud paucos mihi cognitos homines enumerare poſſem, qui ex malo hypochondriaco, viſcerum obſtructio-

ne

ne; affectibus renum a pituita & arenulis; cibi faſtidio, doloribus inteſtinorum, tum ex genere quodam vertiginis, ubi lentitudo eſſet impuri ſanguinis, atque aliis præterea tardis morbis laborantes, ab uſu aquarum, præſertim repetito, non mediocre levamen obtinuerunt.

Sed illud de Auguſtanis minime omittendum puto, quod fere aliis medicatis aquis commune eſt; eamdem videlicet in iis efficacitatem non perpetuo reperiri. Equidem *Victorianas* memini circiter medium Julium anni *1636* in hanc urbem allatas fuiſſe, quarum imbecilliorem vim ſenſus judicio, factiſque experimentis cognovimus. eoque tempore viri quidam, hauriendis a fonte aquis, & accurate in vitrea vaſa reponendis præfecti, non modo id ipſum animadverterant, ſed etiam e ſcatebra multo uberius, quam proximo ſuperiore anno, aquas profluere. Cujus rei cauſa ad majorem nivium copiam, in eo tractu montano adhuc liqueſcentium, merito referebatur: & revera inſequentis Auguſti initio vena minus abundans, & aquæ valentiores eſſe cœperunt. Ac permagni ſane intereſt, ut integra & actuoſa illarum virtus ſit: robuſti enim, quam morbus poſtulaverit, valentiorem medicinam in *Victorianis* reperiunt; ceteri *Margaritæ*

*garitæ* aquas deligunt, vel prioribus, adjecta portione aquæ communis, utuntur. Quod autem plerique, ut moris eſt, curationem ſumma æſtate aggrediantur; ſaltem bene ſibi conſulunt, qui natura calidi & graciles lavant per aliquot dies in aqua ſimplici, antequam bibere incipiant, & iterum, cum bibendi finem fecerunt. Etenim aquæ medicatæ, quibus reſolvendi & evacuandi virtus data eſt, univerſo corpori commotionem, calorem, ſiccitatem inferunt. Quapropter ad ejuſmodi corrigendam intemperiem parata ex pullis gallinaceis juſcula cum emollientibus herbis & refrigerantibus, præter alteram lavationem, ſæpe a Medicis commendantur.

Atque hæc breviter loquuti ſumus de Fontibus duobus Auguſtanis, qui fere ab anno 1680 cum magno uſui eſſe cœpiſſent, his quoque temporibus frequentari ſolent. Namque alia quondam cognita ſcaturigo non ignobilis a proximo exundante fluvio conſumpta eſt: ceteræ autem exiguæ & ſuperſtites vix ullius momenti ſunt. Sed non ita pridem compertum eſſe fontem accepimus in ea regionis parte, quæ ab indigenis *La Saxe* appellatur; idemque huic Fonti nomen tributum fuit. Vena ſatis fecunda eſſe dicitur aquæ propemodum frigidæ, perſpi-

cuæ, ſapore ſubacido, halitu ſulphuroſo; qui tamen gravis odor, aqua in lagenis alio translata, evaneſcat. Quo loco exoritur, paullulum albidæ viſcoſæque materiæ deponit, inde profluens tenacem quoque aliam, colore tum ſubflavo, tum fuſco, & ſulphureum quiddam redolentem. Nonnullis abhinc annis ut aquæ illius plena ad me mitterentur vitrea vaſa duo curavi: in altero limpida erat ſine ullo acore, tantumque inferior ejuſdem portio turbida: in altero pellucida omnino, & aliquantulum acidula, ut ab infuſo heliotropio ſubrubellum colorem exhiberet. Cum pulverata galla experimentum feci: liquor ab initio nihil immutatus, paucis poſt horis coloratior ac turbidus apparuit. Aqua omni ad ignem lenem evaporata terrenum ſedimen inveni, furfuraceum, & luteolum, interjectis micis quibuſdam perexiguis & lucidis: quo ponderato ſedimine cognovi grana ejus circiter ſeptena in ſingulis aquæ libris contineri. Talis materiæ facta infuſio in aqua communi inſuavis guſtatu, nihil propemodum ſalſa, adjecto ſyrupo de violis nullam coloris mutationem tulit. Terram ab infuſione reſiduam, bene ſiccatam, cum aceto acerrimo leniter ac diu fermenteſcere, & vehementer cum vitriolico ſpiritu animadverti.

Equidem

Equidem ſcio mirificas & plane ſingulares aquæ iſtius proprietates & medicas vires celebrari a nonnullis cœpiſſe, ut primum cognita fuit, neque adhuc ad graves morbos adhibita. Verumtamen ſi eamdem in acidulis numeramus, præſtantiores ceteræ videntur Aquæ Auguſtanæ; ſin potius in ſulphureis, profecto Gratianæ in Sabaudia, & plures in Pedemontio, aut finitimis regionibus anteponendæ ſunt. Nihilominus Fons iſte, meo judicio, haudquaquam contemnendus eſt; cujus videlicet uſum ad quaſdam acres humorum diatheſes, indeque profectas partium ſolidarum, præſertim cutis, pravas affectiones, aptam & congruentem medicinam fore putaverim.

# DE AQUIS ANFIONENSIBUS.

INter oppida duo Cabellici Ducatus, Tunonium & Aquianum, tractus quidam eſt, ubi Aquæ medicatæ, vulgo *Eaux d'Enfion*, e fecunda vena emanant, limpidæ, frigidæ, levi ſapore ferrugineo, nec injucundo. E ſcatebra defluentes terrenum canalem, eoſque præſertim ſilices, quos ipſæ alluunt, ſubrufa materia *, quæ ochra eſt ſui generis, obducunt, donec in propinquum Lacum Lemanum effunduntur. Et quamquam plures in confiniis reperiri fontes ferruginei dicuntur; tamen hic unus ex uſu eſt, qui alios omnes percommoda poſitione, & laticis abundantia longe antecellit. Atque his etiam natura ſimiles aquæ ex adverſa parte Lacus, nempe ad nonnulla Vaudenſis regionis loca †, eſſe accepimus. Sed noſtræ tantum Anfionenſes huc uſque celebres ſunt,

C æſti-

* Habebam ferri maſſam foſſilem, non admodum fractu difficilem, quippe quæ continuatum corpus non erat, ſed innumeris veluti ſegmentis compoſitum. Cum eam diffringendo curioſe introſpicerem, terræ cujuſdam ſubrufæ interjectas hic & illic portiones varias animadverti. Atque hæc ipſa tum Anfionenſi ochræ, tum Auguſtanæ, quam alio loco memoravimus, colore ſimilis eſt.

† Sunt hæc nominatim gallica lingua, *S. Prex*, *Rolle*, *Nion*.

æſtivoque tempore a noſtratibus, & ab exteris frequentari ſolent, quibus opportuna eſt ad commorandum Aquiani proximitas. Nam quotidie mane per brevem trajectum navicula feruntur ad eam litoris partem, qua facile itur ad fontem, eodemque modo revehuntur in oppidum. Nec vero ceteris per eam tempeſtatem grave eſt terrena via in ſingulos quoque dies illuc ſe diluculo conferre. Aquam enim bibere ad ſcaturiginem opus eſt: alio translata, quam accepit a vena ferri, vim prope omnem deperdit; propterea quod ejus metalli ſubſtantia mirabiliter diviſa eſt in partes minutiſſimas, brevi evaneſcentes. Itaque in aquam recentiſſime hauſtam de ſcaturigine inditus gallæ pulvis ſubrubellum liquorem efficit; minime vero ſi procul a fonte experimentum fiat; ſi poſtquam in vaſis, vel diligenter occluſis, aliquo tempore aqua ſubſtiterit. Nam licet in ochra martiales particulæ contineantur, ita ſunt irretitæ & abditæ in eadem terreſtri materia, ut cum ipſo latice communionem prorſus nullam habeant: tantummodo ſe oſtendunt, cum eas peracer ignis expedivit, qui ochram torrefecit. Porro in lagenis aqua repletis pauculum id quidem eſt, quod progreſſu temporis paullatim ſubſidit: hæc autem ipſa, quantumvis licet

agi-

agitata, recrementum omne abripiat, ſive ochreum, ſive aliud quodlibet vitro inhærens, nullam tamen ferri manifeſtam qualitatem recipit. Ex tali aqua, ut artis eſt, evaporata ſedimentum collegi, colore quaſi cineraceo, terreum, & leviſſime ſalſum, cujus pondus erat granorum fere trium in ſingulas aquæ libras. Hoc illico & plurimis cum bullis effervescit ab inſtillato ſpiritu vitrioli, quemadmodum ejuſdem infuſio ex aqua communi viriditatem ſyrupo violarum inducit. Infuſionis autem iſtius commixta portio cum tinctura gallæ nullam initio mutationem fecit; ſed viridem poſteris diebus liquorem inveni: quod plane idem contingere memini, cum ad aquam ipſam gallarum pulvis adjectus eſſet. Atqui hujuſmodi color, ab eo diverſus, quo ferrea ſubſtantia denotatur, indicium eſt unius alcalicæ terreſtris materiæ ſubſalſæ, quam illa duo ante allata experimenta demonſtraverunt.

Nullum igitur in Aqua Anfionenſi fixum principium ferrugineum, ſolutum, ac liberum reperias; ut ejuſdem præcipua vis in eo martiali tenuiſſimo, & fugaci pulviſculo poſita ſit: cujus tanta quidem ſubtilitas eſt, ut quaſi halitum dumtaxat recipere e ferrea fodina præterfluentes aquæ videantur, Namque illa terræ alcalicæ portiuncula exi-

gui ſane momenti eſt: hujus vero fontis tam multas in morbis utilitates experientia patefecit, quæ ab ejuſmodi materia, etiam largiter ægrotis data, exſpectari non poſſint. Olim Genevenſes Medici duo clariſſimi, Clericus, & Mangetus, de Anſionenſis Aquæ natura, & viribus, quas nondum ſatis cognitas habebam, me perhumaniter literis ſuis certiorem fecerunt. Ipſi enim ad ſcaturiginem venerant, varioque in genere morborum qualem ea, & quantam opem civibus ſuis atque exteris attuliſſet, diligenter obſervaverant; cum alioquin eamdem aquam vel diu epotam nemini unquam detrimento fuiſſe inter omnes conſtaret. Ad quas igitur ægritudines plerumque conferat, ex aliorum magis quam noſtra obſervatione, maximeque ex illorum, quos modo nominavi, experientium virorum auctoritate, breviter exponam. Ac magno perſæpe auxilio eſſe dicitur iis, qui ad ophthalmiam, eryſipelas, hæmorrhagiam proclives ſint; itemque mulieribus, quæ nimia menſtruorum abundantia, vel ſuppreſſione laborent; non ſecus ac viris hiantium hæmorrhoidum profluvio, vel cæcarum importunitate, ac dolore vexatis. Admirari ſolet ignarum vulgus, quotieſcumque ad morbos inter ſe diſſimiles, immo contrarios quodam-

dammodo, unum idemque remedium adhibere Medici non dubitant: hi vero ambiguis effectibus non illuduntur, ſingulos diſcernere ſtudent; eorumque variantium cauſas inveſtigant; caute inſuper, cum res tulerit, medicaminum vires explorant; itaque ratione & experientia ducti ea non raro facienda jubent, quæ a vulgari opinione plurimum abhorreant.

In cibi faſtidio, viſcerum obſtructione, ſabulo affectis renibus, palpitatione cordis utiliter bibuntur. Hyſtericis porro, & hypochondriacis, ac generatim iis, quorum ſpaſmodica infirmitas quædam eſt in partibus nervoſis, ſæpe majus emolumentum hæc una, ſimplex, & ſuavis medicina, quam ceterorum farrago remediorum, attulit. Ex Medico Genevenſi, quod ipſe intellexerat, id mihi per epiſtolam aliquando ſignificabat MANGETUS. Nimirum Aquianenſis incola, propter aſſiduum dexteræ manus tremorem ſcribendo impotens, ob alias tamen invaletudinis cauſas Anfionenſem fontem adivit: interea dum aquis de more utebatur, paullatim, atque in dies magis ac magis confirmari totius brachii vires ſenſit, ac nihil jam demum contremiſcente manu redditus ſit ad exarandas literas idoneus. Sed idem quoque remedium ad quaſdam capitis affe-

ctiones plurimum confert; ut etiam morbum ſuſtulerit in viro nobili, qui mihi teſtatus eſt a frequenti vertigine, quam perpeti ſolitus erat, ſe liberum jam multos poſt annos, & plane immunem eſſe. Denique ad cutis rubores, papulas, herpetes magnopere commendatur. Et præſertim de quibuſdam viris meminit Mangetus tetra ſcabie vexatis, qui ferrugineam aquam bibendo, quantum opus eſſet, ac ſæpius in eadem lavando conſanuerunt, cum ex aliis antea medicamentis vix quicquam profeciſſent. Talis quidem laticis exterior uſus ob ſalis penuriam, & ferreas particulas cito evaneſcentes, nihilo præſtabilior videri poteſt, quam commune balneum ex aqua ſimplici; quod utique ſcabioſis de fonte illo bibentibus conducere arbitror: ſed tamen ad ejuſmodi labes cutaneas aliqua medicinalis virtus attribuenda ſaltem eſt ochreæ terræ, quæ modica licet quantitate cenſeatur, ſoluta in partes minimas, totoque latice diffuſa, hunc ipſum lavationi magis opportunum & congruentem conſtituit.

Neque hoc loco rem ſingularem & miram de homine quodam pauperrimo, ex traditione habitam, præteribo. Is macilentus omnino & imbecillus, ſqualida & ulceroſa cute, cum in agro Anſionenſi verſare-

tur

tur, aliqui ex indigenis, miſerrima illius conditione commoti, caſulam ex tignis ac ſtipulis eidem paraverunt in vicinia ſcaturiginis, & cetera quæque ad victum & curationem præbuerunt: aquam bibere cœpit, & conſtantiſſime perrexit, atque inſuper in eadem diu lavit, ut bonam denique corporis habitudinem recuperaverit: itaque fontis ſaluberrimi fama ab eo maxime eventu percrebuit. Si verum id omne eſt, ut a nonnullis accepimus, profecto illius gentis ſumma benignitas fuit, æque ac fortuna inopis ægroti: ſin autem fabellam prodiderunt, tamen Anfionenſis Aqua progreſſu temporis adeo multis profuit, & alios ſanavit, ut, extra mirificos ejuſmodi caſus, tum in Sabaudia, tum in finitimis regionibus magnum nomen optimo jure ſit conſecuta.

Ceterum Aquæ hujus in potu adhibendæ ratio eadem fere eſt, atque aliarum mineralium. Quod autem noſtra perfacilem ad urinales vias aditum habere ſoleat, ad alvum minus inclinet; ideo clyſteribus, cum opus ſit, vel pilulis ante cœnam datis, pro ægroti natura, dejectiones promovendæ. In diutinis morbis longiuſcula uti curatione convenit; eaque tolerabilior eſt, ſi duas in partes tribuatur: nempe duodecim vel quindecim dierum ſpatio bibat æger quotidie;

deinde, cum interquieverit totidem circiter dies, id ipſum repetat. Ubi aquæ hujus ferratæ virtus imbecillior videtur, quam morbi conditio poſtulat, quadantenus adjuvari poteſt frequenti uſu pilularum, quæ ex ſpuma chalybis, & aloe imbuta ſuco violarum, vel pallentium roſarum, conſtent: ita etiam alvo ſtimulus, interdum opportunus, adjicitur; nonnullis enim paullo uberior egeſtio valde prodeſt. Qui vero congruentem moram faſtidientes, aut longe ſecus, quam ceteri, opinantes, profuſo potu ſe feſtinanter curari volunt, etſi talem utcumque ferant, audacius id quidem faciunt, nec propterea citius a morbo relevantur. Plurimos ante annos vidit amicus & collega meus robuſtum virum, humili ſtatura, qui per continuos aliquot dies, cunctis admirantibus, qui præſentes aderant, aquam ad quingentas uncias haurire trium horarum ſpatio ſolitus erat, eamque inde omnem per vias urinales emittere. Itaque rem ſibi propoſitam brevi confecit, ac de immoderati potus utilitate nihil gloriatus Aquiano confeſtim diſceſſit. Sed alium quemdam honeſto loco natum ſcimus, quam conſiderate & patienti animo curationem inſtituit, feliciter abſolviſſe. Hic a cibo jamdudum abhorrebat; capitis doloribus aſſiduis pre-

premebatur ; decoloratam & ſqualidam faciem habebat : de conſilio præſtantis Medici ad præfinitum uſque diem bibendis aquis proceſſit ex ordine ; & cum ſatis bene eveniſſet, non continuo, ut fieri ſolet, abeundum ſibi eſſe putavit : ibidem ſua ſponte immoratus eſt menſes prope duos ; eamdem medicatam aquam bibere ex intervallo, rectamque adhibere victus rationem perrexit ; ac tum denique confirmata valetudine ingenuus idem & prudens vir in patriam redivit. Anfionenſem, ut auditione accepi, procul a ſcaturigine infirmi quidam homines ad ſe perferendam curarunt, quibus ea nihilominus haud mediocri emolumento fuiſſe dicitur. Facile id quidem concedimus : jamdiu enim quibuſdam naturis, diverſoque in genere morborum, aquæ ſimplicis uſum ſaluberrimum Medici cognoverunt ; quin etiam compertum habent nonnullos ab aquis mineralibus læſos, poſtmodum a ſimplicibus & puriſſimis adjutos fuiſſe. Ubi vero actuoſa vis quædam aquarum requiritur, quæ in partibus alicujus mineralis tenuiſſimis & fugacibus poſita ſit, certe quidem ægroti ad proxima fontibus loca mittendi ſunt. Dicere quiſquam poteſt, id genus particulas a noſtris quidem ſenſibus ſe abducere, non tamen a latice aquoſo evadere penitus & evolare

lare

lare ; nempe eas tantummodo ab aliarum quarumdam ſocietate & nexu disjungi, tum aliis terrenis & craſſioribus ſe illigantes conſidere. Quod vero commotis, & multiformiter excuſſis lagenis, cum omne ſuum ſedimen aquæ receperunt, jam prorſus nullum propriæ naturæ indicium præbeant, ut de noſtris diximus; idcirco neque nativam integramque iis ineſſe virtutem arbitrari licet. At enim, inquies, facilis hæc Anſionenſium commutatio vel in occluſis vaſis, multoque magis ſi paullulum ipſæ incaleſcant, ſimiliter in ventriculo fieri debet; nec propterea quales ad fontem bibuntur aquæ, tales in ſanguinem & viſcera perveniunt; ac perinde eſt atque alio tranſvectas bibere. Sane quidem vereor, ut ejuſmodi ratio philoſophandi ad medicam artem plurimum conferat: enucleate ac ſubtiliter, ſi placet, de ſubjecta quacumque materia diſputemus, dummodo (id quod præcipuum eſt) accuratis obſervationibus nitamur. Quamquam igitur in quæſtionem res incidit, cujus explanatio non adeo difficilis videtur; nunc tamen ſatis habeo illud unum dicere: a potu videlicet Anſionenſium aquarum qui majus levamentum, vel ſanitatem conſequuti ſunt, hi omnes, quantum ſcire potui, eaſdem proxime hauſtas de ſcaturigine adhibuerunt.

JOH.

JOHANNIS FANTONI

# DE FEBRIBUS MILIARIIS

## *HISTORICA DISSERTATIO*

Digitized by Google

Digitized by Google

# AD LECTOREM.

*MUlta mihi ſuperioribus annis impedimento fuerunt, quominus hanc de Miliariis Febribus Diſſertationem perficerem: de quo nempe argumento commentari aliquid, & conſignare litteris cœpi, ut primum ejuſmodi febrium genus pernicioſum in urbe Taurinenſi percrebuit. Iſtæ ſcilicet ab initio ita infeſtæ, ac prope fatales erant feminis, præcipue nobilibus, quæ recens peperiſſent, ut is puerperarum proprius & peculiaris morbus diceretur. Poſtea vero cum idem cives & incolas vix ullo ſexus, ætatiſque diſcrimine invaſit; tum velut ingenitus, atque endemius civitatis noſtræ habitus eſt, uſque dum præmaturi judicii errorem patefecit infelix eventus: namque inopinato hinc & illinc exortam eamdem luem, atque in toto pæne tractu Pedemontano ſenſim diffuſam vidimus. Sed interim alia quædam infixa hominum mentibus hærebat opinio, qui proximis videlicet temporibus primo apparuiſſe in terris tantum id malum exiſtimarent. Enimvero ſic fieri ſolet, ut quæcumque prius inviſa, vel inaudita præter expectationem obvenerint, ea plane & omnino reputentur nova, quorum tamen vetuſta plerumque origo ſit: quemadmodum longe veterius, quam vulgo creditur, genus omne*

*fe-*

*febrium miliarium apud eximios Scriptores reperimus. Nimirum ut papulas miliares ſine ulla febrili corporis affectione, ita conjunctas cum talibus exanthematis febres, ſive natura mites ac benignas, ſive etiam acutas & vehementes, a priſcis Medicis obſervatas fuiſſe conſtat. Sed graves iſtæ ac pernicioſæ per multas ætates inſolenter & raro incidiſſe videntur; quæ recenti memoria ſuſcitatæ ſimul & frequentes, immo domeſticæ & familiares factæ ſunt quibuſdam in regionibus, ubi paſſim vagari tamquam in proprio ſolo perſeverant. Atque hæc ipſa, erudite Lector, quæ tibi breviter ac ſummatim expoſui, noſtræ Diſſertationis capita eſſe intelligis. Ad febrium autem miliarium hiſtoriam quo planior & luculentior aditus fieret, procemii loco dicendum putavi de antiquorum propagatione morborum, maximeque exanthematum ſpecie diſſimilium, quæ ſocias ſæpe febres habentia peculiare hiſce ſingulis nomen dederunt. Et quamquam hic multa & varia enarrando longius, quam in procemio deceat, provectus ſum; tamen cum inſtituti mei ratio id poſtularet, hanc mihi veniam te facile daturum eſſe confido.*

# DISSERTATIO
## DE FEBRIBUS MILIARIIS,
### *Ubi antiquitas earum, & progreſſus exponitur.*

FABIUS PAULINUS in Prælectionibus ſuis (1) de memorabili Peſte Athenienſium, quam accurate narravit THUCYDIDES (2), idem fere cum PLUTARCHO, & cum præclaris Medicis ALEXANDRO PETRONIO, & MARCELLO DONATO ſentire ſe profitetur; eam videlicet conditionem eſſe mortalium, profecto miſerrimam, ut antiquis non modo, ſed maxime novis in dies exorientibus morbis angi ac torqueri ſoleant: id quod plurimis rerum præteritarum monumentis conſtare iidem viri doctiſſimi arbitrantur. Atque ita ſane primis eveniſſe mundi ætatibus cenſendum eſt, ac per aliquot inde etiam ſæcula, poſteaquam orbem terrarum prope univerſum homines habitaverunt. Quo nempe longiſſimo tem-

(1) *Prælectiones Marciæ, ſive Commentaria &c. pag.* 38. & *ſeq.* In Gymnaſio Veneto ad Bibliothecam D. MARCI Græcas litteras, in alio Latinas docebat Philoſophus, & Medicus illuſtris, FABIUS PAULINUS, patria Utinenſis.
(2) *De Bello Peloponneſiaco lib.* 3. ubi etiam ſe ipſum peſtilentia correptum fuiſſe ſcribit THUCYDIDES.

temporis ſpatio proprias cujuſque regionis, & ſubinde variantes intemperies cœli; qualitates nutrimenti omnes, cujus tanta eſt ubique gentium diverſitas; & cetera quæcumque a natura univerſa ſuppeditantur, tum in decurſu vitæ obvenire ſolent, eaque valetudini ſecunda, vel adverſa, experiri potuerunt. Quibus igitur pravis affectionibus corporis & maſculi, & feminæ, diſſimili habitu ac temperamento, pueri, adulti, ſenes; tum homines ii, qui oppida, & nobiliſſimas urbes, vel campeſtres agros; humilia, vel montana loca, vel oras maritimas incolerent, vel ipſa etiam maria longe lateque ambularent; ceterique in labore aut otio, in paupertate & ſqualore, aut in opulentia & voluptate vitam agentes: uno verbo illi omnes ex omni conditione homines, quibus tandem morbis ſubjacerent, ſive ob evidentes cauſas, ſive occultas, perſæpe compertum fuiſſe in tanta longinquitate temporum, facile intelligi poteſt. Jam vero ad noſtram ætatem propius accedendo, ſi communis iſta calamitas humani generis conſideretur; mihi quidem probanda maxime videtur illorum opinio, qui antiquos eſſe volunt pleroſque morbos (1), atque

(1) Pleroſque dico morbos, non equidem omnes. Fieri enim poſſunt fortuitæ quædam, & incomprehenſibiles exteriorum, interiorumque cauſarum complexiones; unde morbi ex novo genere aliquo exoriantur, qui a vetuſtiſſi-

atque ab aliis regionibus quoquo modo tranſmitti in alias, ubi revera tanquam novi, & in loco ipſo nati appareant: vel antea rariſſimos, & perpaucis Medicis cognitos, jam frequentius incidere, & ſenſim magis ac magis increbreſcere: gravioreſve ac pernicioſos tandem aliquos fieri, qui multo minus detrimentum hominibus afferre quondam ſoliti fuiſſent. Atque hujuſmodi viciſſitudines malorum, ſive ex contagione, aut rebus fortuito advenientibus (1), ſive ex gentium quarumdam errore, & vitio, quæ potiſſimum a ſim-



mis uſque temporibus nullo terrarum orbis loco acciderint. Hoc autem ſi raro evenire ſuo jam tempore putavit CORNELIUS CELSUS, nunc multo magis inſolens fore cenſendum: *Rarius*, ait ille, *ſed aliquando morbus quoque ipſe novus eſt*: *in Præfatione lib.* 1. *Medic.*

(1) Inter cauſas adventitias, eaſque multiplices, a nonnullis auctoribus annumerantur minutiſſima quædam inſecta, humanæ naturæ plus minus infenſa, quæ in aere vagentur, oculorum ſenſum fugientia, & aliquando ab una regione in aliam per ventos deferantur: quemadmodum id conſtare dicunt de parvulis vegetabilium ſeminibus, unde in aliquo terræ tractu mirabiliter exortæ ſint plantæ, in quo tales antea nullæ umquam conſpectæ fuiſſent. Hi nimirum acutiſſimi naturæ interpretes inſolentium quorumdam morborum latentes cauſas, quæ omnino ad inanima corpuſcula inviſibilia, aerem inquinantia, referri ſolebant, perexiguis hiſce beſtiolis, vel earumdem volubilibus ovulis, ſæpius eſſe tribuendas arbitrantur. Quorum opinionem tantummodo indicamus: nihil eſt enim, quod in tanta rerum iſtarum caligine nobis ita cernere animo liceat, obſervationum lumine deſtitutis, ut potius ad hanc ſententiam, quam ad alteram, accedamus.

plici & recta victus ratione receſſerint, evenire videntur (1).

A Saracenis olim Variolæ, quas ipſi fortaſſe ab aliis habuerunt remotioribus Orientis gentibus (2), in ceteros Tractus Aſiaticos, in Africam, & Europam, tum ab Hiſpanis in Occidentales Inſulas translatæ ſunt, unde Venerea Lues ad nos pervenit, atque in partes orbis terrarum pæne omnes diffuſa eſt. Hanc nempe turpiſſimam luem, a priſcis uſque temporibus per ſe exortam in Hiſpaniola, & familiarem indigenis, Europæi per contagium in eadem Inſula contraxe-

(1) De corruptis Helvetiorum moribus vehementer, & lamentabili quodam modo, conqueritur conterraneus ipſe, vir plenus animi, DEREBECQUE, ſimul alias nationes pungere haudquaquam veritus: *Proh dolor!*, inquit, * *cum, antiqua frugalitate, & ſimplicitate in victu derelicta, Italorum, Gallorumque mollities, ac delitiæ in patriam noſtram introductæ fuerint, & cum iis vitia horum plurima, ſimul etiam morbi multi olim nobis incogniti corpora noſtra afflixerunt.* * *In Præfatione ad Prodromum Medicinæ Helvetior.* ubi cætera videſis, quæ hoc loco prætermiſimus.

(2) Primi Scriptores, ut bene animadvertit FREINDIUS, de Variolis, non tamquam recenti apud Arabes morbo, meminerunt. Hic autem quod perſæpe gravis morbus ſit, nec raro pernicioſus, idcirco RHAZES, quo libro variolas expoſuit, eum *De Peſtilentia* inſcripſit. Ac perpetuo quidem peſtiferas eſſe in Ægypto ALPINUS affirmat *Medic. Ægyptior. cap.* 13. Japoniam peſtis numquam invaſiſſe dicitur; aliquando tamen in Inſulis illis varioloſa contagio majorem hominum ſtragem facit, quam peſtis ipſa ceteris in locis edere ſoleat, quemadmodum perhibet GUIL. ten RHYNE in *Diſſert. de Arthrit.*: contra vero cognitæ ſunt regiones aliæ, in quibus generatim idem morbus a tali vehementia & feritate quam longiſſime recedit.

traxerunt. Cur autem apud illam gentem procreari malum ejuſmodi peſtiferum haud difficile potuerit, multiplices, eaſque graves profecto, & efficaces cauſas in medium adducit, & ſingulatim exponit clariſſimus Astruc (1) in opere illo egregio, & perfecto, quod *De Morbis Venereis* inſcribitur: ubi docet antiquum etiam, peculiarem atque endemium eſſe morbum in Peruviano Regno, tum in reliqua pæne tota continente Americæ parte: idemque porro addit in Africa inferiore, in Guinæa, in Malabaria, in Java, & Molucis Inſulis, jampridem vulgo innotuiſſe qnemdam affectum, qui Venereo Americano ſimilis cenſetur. Ac nonnullæ ſunt inſuper ægritudines diverſi generis, quarum commemoratio ad hoc noſtrum inſtitutum pertinet.

Johannes Wierus Brabantinus, olim Cliviæ Ducis Archiater, in libello *Medicinalium Obſervationum*, qui anno 1567 in lucem prodivit, de Scorbuto loquitur, antiquo certe morbo, quarumdam regionum proprio, vi-



(1) LUDOVICO XV Galliæ Regi a Conſiliis Medicis, in Regio Franciæ Collegio Medicinæ Profeſſor &c. cujus Auctoris vide *librum* 1. *cap*. 2. Optabile omnino eſt, ut ASTRUCI imitator aliquis, præſtanti ingenio, doctrinaque vir, eas etiam accuratiſſime cauſas perſcrutetur, quæ luem illam Orientalium quarumdam regionum antiquitus propriam, nimirum variolas, progignere potuerint.

delicet ſeptentrionalium (1), maxime ad oras maritimas, qui tamen haud multis ante annis latius vagari, eaſque nationes aggredi & vexare cœpiſſet, quæ ne talis quidem luis nomen umquam audiviſſent. Qua in re aſſentitur WIERO Belgicus alter ſcriptor DODONÆUS (2), ſimul animadvertit ſuo primum tempore in Bohemia & Sileſia ſcorbutum apparuiſſe: & vulgarem in Gothana Provincia ab anno 1604 eumdem factum eſſe docet CASP. HOFFMANNUS ( ): quamquam SCHMITZIUS in *Compendio Medicinæ* id malum uſque ab anno 1481 irrepſiſſe in Germania perhibet, auctore SPANGERBERGIO: & revera quinqnennio poſt graſſatum fuiſſe in Miſnia vir clariſſimus affirmat GEORGIUS FABRICIUS (4). Apud nos etiam Scorbutus, cujus ta-

(1) Svecus auctor OLAUS MAGNUS Aquilonariis gentibus familiarem morbum deſcribit, quem vulgus *Schoerburh**, ipſe Caſtrenſem appellat, eoque obſeſſos præſertim, & incluſos affligi homines narrat: membra torpere, & *ſubcutaneo tabo liqueſcere*; pallidam & cæruleam cutem fieri; ſtupore dentes affectos eſſe, vacillantes, caducos; præterea ægrotos nauſea laborare: addit ejuſmodi malis abſinthiacum potum diu continuatum mederi. *V. Hiſtor. Gent. Septentrion. lib. 16. cap. 3.*

* Ab incolis Saxoniæ inferioris *Scorbock*, vel Scorbuck nuncupari dicit SENNERTUS, aliterque ab aliis nationibus.

(2) *V. Medicinal. Obſervat. c. 23.*

(3) *De Medicament. Officinal.* ubi *de Cochlearia* ſermonem habet.

(4) *V.* SENNERTI *Tractatum de Scorbuto*, cujus peculiaris ibi ſpecies quædam ex FABRICIO deſcribitur.

tamen plures ſunt gradus & differentiæ (1), licet ignotus olim non eſſet, ſic noſtra memoria ſenſim percrebuit, ut cum antea horrificum quemdam, & pudendum morbum ægroti reputarent, atque ab eo denominando abſtineri vellent, poſtea minus terreri, eumdemque demum proprio ipſimet nomine deſignare conſueverint (2). Ceterum ab antiquis item Medicis indicatæ fuerunt hujuſce luis quædam ſpecies, quas illi nimirum a partibus corporis præcipue affectis *Stomacacen*, & *Scelotyrben* appellaverunt: atque hæc ipſa apud Plinium nomina reperiuntur (3). Quod ſi ad ſcorbuticarum genus pertinent hujuſmodi affectiones a Plinio memoratæ, ac tum infeſtæ militibus, cum Rhenum trajecit, atque in Friſiæ Tractu caſtra poſuit Germanicus Cæſar, inde colligitur



(1) Multos quidem, ac difficiles morbos nonnulli ſolent Medici temere ad ſcorbutum referre: ſed tamen hunc alii morbum anguſtis nimium finibus deſcribunt. Vere enim ſcorbuticos tantum eos ægrotantes cenſeri volunt, qui putridas, ulceroſas, ac fœtentes gingivas habeant; vel quorum in artubus, præſertim cruribus, purpureæ ac liveſcentes maculæ appareant. Sæpe autem pervicaci malo, natura ſcorbutico, affectos homines videre licet ſine talibus ſymptomatis, quæ tamen ipſa denique morbo jam valde provecto ſuperveniunt.

(2) Raro Hiſpanos incidere in ſcorbuticam affectionem dicit BURLETUS, niſi qui eam navigatione contraxerint. V. *Quæſt. Medic. An pluribus Hiſpanor. Morbis &c. Præſide* M. C. BURLET, *e Soc. R. Pariſ. Hiſpaniar.* REGIS *Archiatro*.

(3) *Hiſtor. Natur. l. 25. c. 3.*

ligitur, illo jam tempore ſcorbutum exſtitiſſe, & Friſiis plane cognitum fuiſſe, utpote qui ſingulare quoddam ejuſce mali remedium, ſive herbam Britannicam, demonſtraverunt.

Pergamus ad illam Anginæ ſpeciem atrociſſimam, quam proprie ſynanchen, vel gutturis laqueum vocant. Morbus iſte cum paullo poſt initium præteriti ſæculi Neapolitanos invaſit, inſolens omnino iis, atque adeo novus apparuit: inopinato enim homines adoriri, maxime pueros, & præcluſo ſpiritu celeriter aliquos jugulare ſolebat. Sed probe animadvertit M. A. Severinus (1) minime recentem eſſe morbum, ſcilicet Hiſpanis ante infeſtum, ut inter primos declaravit J. A. Fontecha (2), tum Andreas Tamaius in *Tractatu de Garrotillo* (3); poſtmodum

(1) V. Auctoris libellum, qui inſcribitur, *De Pædanchone Maligna*.

(2) JOH. ALPHONS. a FONTECHA, non FONSECA, ut apud SEVERINUM legitur, in Complutenſi Academia Medicinam docuit, ejuſque *Diſſertatio de Anginis* impreſſa fuit A. 1611.

(3) Id opuſculum, ſive lingua vernacula, ſive latina conſcriptum, invenire nuſquam potui. *Garrotillo* autem hiſpanice, vel *Garroteio*, incurvum ac teres lignum eſt, adhiberi ſolitum ad ſarcinas, quæ jumentis imponuntur, per validam funium coarctationem firmandas. Atque hoc uſus eſt translato vulgari vocabulo TAMAIUS, ut ſynanches iſtius vehementiam exprimeret. idemque etiam adhibitum fuit a CHRISTOPHORO PEREZ de Herrera, cujus nempe librum *Del Garrotillo*, hiſpanice, & latine editum Madriti, commemorat NICOL. ANTONIUS in

modum ad Sardiniam, Siciliam, Melitam; denique ad omnes Regni Neapolitani, tum huic finitimas quaſdam provincias, tranſmeaſſe. Quamquam multo longius repetenda morbi origo eſt, quippe qui ab ARETÆO (1), præ ceteris veteribus, ſingulatim accurateque deſcriptus fuit, ut idem ipſe rerum medicinalium, quas Græci tradidiſſent, ſtudioſiſſimus adnotavit SEVERINUS. Quod ſi hujuſmodi morbus eas frequentius regiones afflixit, quas nominatim diximus, aliquando tamen in aliis apparuit. Talem videlicet anginam plures Medici, FERNELIUS in



*Bibliotheca Hiſpana*, ubi nullam de Tractatu illo TAMAII, quem citat unus, opinor, SEVERINUS, mentionem facit.

(1) *De Cauſis, & Signis Morborum Acutorum lib.* 1. *c.* 7. cujus capitis brevem quemdam locum huc afferre mihi viſum eſt: *Eodem* (ſcribit ARETÆUS) *die moriuntur, qui celerrime, nonnunquam & antequam Medicum arceſſiverint; nonnulli & arceſſito Medico nihil profecerunt: mortuus eſt enim æger, antequam Medicus vocetur.* Cetera vide apud Auctorem, cujus opera egregia nuper ex græca in latinam linguam tranſtulit, atque illuſtravit doctiſſimus WIGAN.

Cum autem ejuſmodi morbus diverſa ratione, & longo etiam tempore aliquos divexare ſoleat; huc pertinere videtur Anginæ ſiccæ ſpecies illa, quam exponit BALLONIUS *, ubi exigua eſt febris, & nullus ad gutturis partes tumor: *Vidimus*, inquit, *ita affectos per* 20. *aut* 30. *dies laborare, cum ſqualore magno, infirmitate ſumma, ariditate; nulla ſiti, difficultate deglutiendi, oculorum quadam cavitate, fuliginoſo ſpiritu arente, atque æſtuante, ac ſi in hecticam laberentur. Et ex noſtratibus Medicis nulli hoc obſervaverunt, præter unum Dominum* MAGNUM, *omnium, quos ætas noſtra fert, acutiſſimum & ſollertiſſimum, qui vocat iſtum morbum* Anginam ſyncteticem, Anginam colliquativam &c.

* *V. Conſilior. Medic. lib.* 1. *Conſil.* 54.

primis, ſi bene memini, FORESTUS, BRASAVOLUS, a ſe obſervatam fuiſſe prodiderunt: & nos quoque ſtrangulatricem iſtam interdum vidimus. Sed præterire jam licet ejuſce generis morbos, atque ad eos reverti (quoniam a variolis exordium cepimus) qui ab efflorеſcentibus in cute maculis, aut puſtulis, denominationem habuerunt.

Quæ olim Germanis ignota erat *Roſſalia*, primum Schwinfurti a diligentiſſimo FEHRIO conſpectam fuiſſe anno 1652; TILINGIUS (1) prodidit: tametſi eam deſcripſerat antea SENNERTUS (2), utpote quam ipſe Wittebergæ aliquoties vidiſſet, quemadmodum Uratislaviæ ſemel in puero DORINGIUS. Atque hæc profecto a morbillis diſtinguenda affectio eſt: neque enim parvæ ac rubræ papulæ, ſed ampliores maculæ ſunt plurimæ, & minores aliquæ, roſeæ, quaſi ignitæ, toto corpore diffuſæ (3); quas propterea cenſet BALLONIUS ad naturam eryſipelatis, ut morbillos ad herpetem, accedere (4). Sed multis fere incognitum hunc affectum dilucidavit, libro *De Tumoribus*, ab hinc annos prope ducentos, Siculus ille, nobilis Medicus;

IN-

(1) V. *Tractat. De Febrib. Petechial. pag.* 58.

(2) *Lib.* 4. *de Febrib. c.* 12.

(3) Frequentes hæ maculæ interdum ſe ſe contingunt, ut univerſa propemodum cutis rubicunda ſit, & *ſcarlatinæ* febris ſpeciem exhibeat.

(4) V. *Lib.* 1. *Epidemior.*

INGRASSIA (1). Et facile quidem putaverim eumdem ipſum eſſe morbum, quem peculiari quodam nomine ſignatum breviſſime expreſſit AVICENNA (2): *Eſt*, inquit, *Albamica aliquid inter variolas*, & *morbillos*, & *eſt ſalvior ambobus*. Cum eodem quoque is convenit, quem, *Alſara* a ſe nuncupatum, pluribus verbis expoſuit ALSAHARAVIUS: namque hujus morbi ſymptomata, ut ipſe declarat, non valde differunt ab iis, quæ in *Albaſba* obtingere ſoleant; atque hac altera voce ſignificari morbillos docet ejuſdem Auctoris latinus interpres (3). Ex Arabicis autem Scriptoribus HALY ABBAS (4) *Röſſaliam* indicaviſſe primus videtur, qui tales maculas denominavit *Rübeolas*, ex calido & ſubtili, nec multum malo, ut idem ait, ſanguine progenitas: ubi tamen animadvertit eas in progreſſu fieri ſimiles granorum

(1) Neapolitani, ut idem Auctor perhibet, tum *Roſſaliam*, tum etiam *Roſſaniam* vocitant: Latini quidam Scriptores *Rubiolas*: Etruſci *Roſella*, vel potius *Roſella*. NICOL. CHESNEAU *Obſervation. lib. 4. cap. 5.*, *Rubiolam* dicit a Maſſilienſibus proprio vocabulo *Rougeole*, & Morbillos vulgo *Senapion* denominari: quamquam in ea regione Vaſconiæ, in qua ipſe commorabatur, numquam ſe vidiſſe *Rubiolam* affirmat, & ſolos ibi communes eſſe Morbillos, lingua vernacula *Sarrampin* appellatos.

(2) *Canon. lib. 4. Fen. 1. Tract 4. cap. 2.*

(3) V. ALSAHAR. *Lib. Theor. & Pract. Tract 31. Cap. 8. & 11.* quem SIGISMUNDUS GRIMMIUS librum accurate in lucem deprompſit.

(4) *Theor. lib. 8. c. 14.*

norum milii, aut paullo majores. Equidem vidi aliquoties oborta ſingulis prope granis grana ſingula, quemadmodum iſtas nonnumquam morbilloſis exanthematis interſperſas. Neque ita inſolens eſt, ut primo in facie morbilli, ſive disjuncti, ſive agminatim diſpoſiti; deinde latæ maculæ & bene rubicundæ in pectore, brachiis, aliiſque partibus eſſloreſcant. Quum autem in affectibus ejuſmodi cutaneis incidunt anomaliæ, quonam latino verbo (dum etiam vulgari caremus) quælibet earum ſpecies appellanda ſit, profecto neſcimus, & parum fortaſſe, meo judicio, intereſt ſcire; quoniam ſingulæ poſſunt ad principale genus quoddam referri. Diſtinguendæ ſunt omnino, ac peculiariter definiendæ in arte medica res præcipuæ & ſtabiles; minus vero ſtudii operæque in vagis & minutis ponendum eſt: jam enim vocabulis fere inanibus plus nimio abundamus: atque utinam ad eos morbos, qui tam multis & ſpecioſis nominibus deſignantur, minor eſſet optimorum inopia remediorum. Verum hæc a propoſito aliena prætereamus, & inchoati ſermonis viam perſequamur. *Scarlatinam* febrim, ſicut eam vocat, & deſcribit Sydenhamius, ex *Roſſalia* utique repetendam eſſe putaverim. Principio ſcilicet obrigeſcere, atque horrere dicit ægrotos, dein-

de

de incaleſcentes non admodum vehementer laborare: poſtea cutim univerſam crebris & latioribus, magiſque rubentibus infici maculis, quam in febri morbilloſa: has evaneſcere paucis diebus, & ſquammatim, vel furfuris inſtar, cuticulam abſcedere. porro addit SYDENHAMIUS morem eſſe ejuſdem morbi, ut integras familias, maximeque pueros aggrediatur. Similiter LINDESTOLPE, Svecorum claſſis Medicus, de quadam febre meminit (1), quæ Aprili menſe anni 1710 plurimos nautas corripuit, cum raucedine, atque amplis in facie, & pectore apparentibus maculis: quod autem ægritudo gravis non eſſet, aliqui ne jacere quidem ſoliti erant: emiſſo ſanguine, & data opii tinctura, ſanabantur omnes: attamen raucedo diu perdurabat. *Scarlatina* hæc febris, ratione macularum, ab Auctore denominata eſt, quæ etiam *Roſſaliæ*, ſi recte quidem ſentio, ſpecies quædam cenſenda eſt: niſi forte ſcorbuticæ fuerunt maculæ, occaſione febrilis motus, affectoque ſimul gutture, exortis: id quod facile nautis, in plaga præſertim boreali, evenire poteſt. Ad ſummam nihil hac de re decernimus: ſed tamen illam proprie *Scarlatinam* febrim appellandam eſſe arbitramur, in qua non iſto modo maculata

cutis

(1) V. Librum *De Venenis pag.* 248.

cutis, ſed ferme in totum rubicunda ſit: atque hanc ipſam melius coccineam, quam ex vulgari conſuetudine *ſcarlatinam*, vocari. Quamquam plane licebit novitatem utriuſque nominis repudiare: ejuſmodi enim febris una & eadem eſſe videtur, ut continens illa, quam Græci nonnulli rubram, ſicut aliam quamdam lividam, ab immutato exterioris corporis colore, nominaverunt (1): atque adhuc nos ipſi albam, ut ſolebant veteres, in febrium numero reponimus.

Nunc eas longe diverſas commemoremus cutis maculas (2), unde malignæ quædam febres vulgo purpureæ aut peticulares dicuntur; quod veluti novum morbi genus primo apparuiſſe in Italia circiter annum 1705 a Scriptoribus Medicis proditum eſt. Inter Græcos Actuarius de hiſce maculis meminit

(1) V. PAULINI *Prælect. Marc. pag.* 294. *& ſeq.*

(2) Alii Peticulas vocant, alii Petechias, quæ vox ab italica *Petecchie* manavit: a Neapolitanis appellari etiam *Peſtichias* tradit INGRASSIA; ſed hanc appellationem jam antea in quoſdam tractus italicos induxerat gravis auctor NIC. MASSA, *qui in proœmio libri ſui de Febr. Peſtil.* ita ſcribit: *Vulgo Venetiis petechias corrupto vocabulo appellant: ego vero peſtichias melius nominaverim, cum febrem peſtilentialem conſequantur.* Et quoniam perexiguæ interdum maculæ ſunt, ut quaſi puncta diceres; inde Medici nonnulli febris *puncticularis* nomen duxerunt. Hæc ſcire quidem convenit Medicinæ ſtudioſis; ſed communi aliquo uti vocabulo, genus unum idemque morbi deſignante, præſtabilius videtur: nomen autem *puncticularis*, propter maculas fere mediocres, aliquando majuſculas, minus idoneum puto.

nit (1) ſive exanthematis inſtar morſus pulicum, vel rubicundis, vel purpureis, vel nigricantibus; & pejora quidem rubris agnoſcit purpurea, nigra omnium peſſima. Fracastorius (2) communem eſſe morbum certis regionibus, ut Cypro, & vicinis Inſulis perhibet (3). Ab Italis ad Germanos eadem lues perveniſſe creditur, quam Halæ Saxonum popularem extitiſſe temporibus ſuis Balth. Brunnerus docet in *Conſiliis Medicinalibus* (4), quæ ab ipſo conſcripta fuerant ab hinc annis fere centum & quinquaginta. Poſtmodum Lotichius, ubi de malignis febribus in Haſſia epidemicis ſermonem habet (5), talia Marpurgi anno 1640 exanthemata primum deprehenſa commemorat; tum in eo volumine Obſervationum; quod inde novem poſt annis evulgavit Thonerus, Ulmenſis Medicus, *Febrem continuam cum*

(1) *Method. Med. l.* 1. *c.* 2.

(2) *De Morbis Contag. l.* 2. *c* 6.

(3) *Febrem peticularem in regione Sinarum, quam Sericam dicunt, frequentiſſimam eſſe mihi retulit civis quidam meus, qui eam per plures annos habitavit.* RODER. a FONSECA *Conſultat. Medic. Tom.* 2. *Conſ.* 31.

(4) Videlicet in *Conſil.* 42 & 43. Obiit BRUNNERUS A. 1604. ſed plurimos ante annos ab eo *Conſilia Medica* litteris conſignata fuiſſe ex ejuſdem vitæ hiſtoria intelligimus.

(5) V. *Conſilior. & Obſervat. Medic. l.* 1. *Obſervat.* 15.

*cum petechiis efflorescentibus* exponit (1); Serius autem in Tractu Wirtembergico idem morbus graſſari cœpit, anno ſcilicet 1684; eoque tempore minus Tubingæ, quam aliis provinciis infeſta fuit (2). Ceterum multo prius quam ab Inſula Cypro, vel quibuſcumque ultramarinis terræ partibus in Italiam hæc lues allata eſſet; forte in aliqua Ditionis Gallicæ regione, aut huic ſaltem finitima, ut in Tornacenſi Flandrica, Jacobo de Partibus cognita fuiſſe videtur (3), quippe qui exanthemata deſcripſit non tamquam ex *culicum* (4), *ſed proprie pulicum* morſu, & di-

(1) V. Obſervat. 22.

(2) V. CHRIST. LUD. MOEGLING. *Diſput. de Peſte pag.* 7.

(3) V. *Comment. ad Avicen. prima quarti*, *tract* 4. *cap* 2. ſic enim Auctoris locus citatur a HIER. MERCURIALI in *Piſanis Prælection. ad Hiſtor. Epid.* HIPPOCR. *Hiſtor.* 2. Namque illud Commentarium in quattuor volumina diſtributum, quod inſcribitur *Explanatio in* AVICENNAM &c. huc uſque invenire non potui. Fuit autem JACOBUS de PARTIBUS, vulgo JACQUES *des* PARTS, vir plane doctus & experiens, CAROLI VII. Galliæ Regis Medicus, qui Tornaci mortuus eſſe perhibetur anno 1463 *, videlicet biennio poſt ejus Regis obitum. Ex quo ſane intelligitur, quantum hallucinatus ſit MERCURIALIS, cum in eodem loco Prælectionum ſuarum, quæ anno 1597. primum in lucem prodierunt, vixiſſe JACOBUM ante annos circiter trecentos tradiderit.

* Ita in *Dictionario* MORERII: deceſſiſſe autem JACOBUM de PARTIBUS circiter annum 1465 in *Lindenio Renovato* reperimus.

(4) Nimirum his vocibus expreſſit MERCURIALIS locum Auctoris. Sed apertiſſime inquit MORERIUS, JA-

diverſos ipſorum colores indicavit. FRACASTORIUS de nobiliſſimo & litterato viro ANDREA NAUGERIO meminit (1) a Sereniſſima Venetorum Republica ad FRANCISCUM I Galliæ Regem Oratore delegato: is paullo poſtquam ad Regis aulam, tum in oppido Bleſio (2) commorantis, perveniſſet, peticulari febre correptus intra paucos dies interiit: qui caſus certe quidem gravis & improviſus contigit anno 1529 ſub initium Maii menſis, quemadmedum memoriæ proditum eſt. Itaque, judicio FRACASTORII, peſtiferum veluti ſeminium, ſub Italico cœlo conceptum, illuc detulit NAUGERIUS, cum iſtius luis ne nomen quidem Bleſenſes incolæ audiviſſent. Ac nihil ſane mirum id nobis videtur, quin etiam facile fieri potuiſſe intelligimus: ſicuti Pedemontanis quibuſdam, & noſtris præſertim civibus evenit, ut cum longius hinc eſſent in tractus Italicos profecti, ubi maligna febris miliaris ignota erat, hæc tamen ipſa, nobis jamdudum familiaris, eoſdem inopinato invaſerit (3). Sed tamen ex eo pecu-

liari

QUES *des* PARTS *eſt le premier, qui a écrit de la Fievre pourprée*. Ita veriſimile eſt a JACOBO ipſo, qui tum in Flandria, tum in Gallia medicinam fecit, ejuſmodi febrem obſervatam fuiſſe.

(1) *De Morbis Contag. l. 2. c. 6.*

(2) Bleſæ, vel Bleſium, lingua vernacula *Blois*, nobile oppidum, quod parvæ Bleſenſis provinciæ caput eſt.

(4) Ita graſſantibus uſpiam variolis perſæpe accidit, ut

liari loco Jacobi de Partibus, quem modo citavimus, ſuſpicari quoque licet, ſive in Bleſenſi, ſive in alia regione Gallica, eumdem ipſum, qui admodum frequens eſſet in Italia, petechialem morbum aliquando inci diſſe. Atque utinam in ſuperiorum ætatum decurſu, præter eos Auctores, qui de vario morborum genere obſervationes egregias ac perutiles nobis tradiderunt; ceteri ubique gentium Medici experientiſſimi, quæ rara omnino & ſingularia in morbis animadvertiſſent, eadem, ne memoria exciderent, ſcriptis conſignaſſent. Quamquam non pauci, opinor, talia in adverſariis deſcripſerunt, quæ niſi per varios caſus, hominumque incuriam pleraque periiſſent, amplificare artis noſtræ hiſtoriam, atque illuſtrare potuiſſent (2). Quod ſi Jacobus de Partibus magnum illud commentarium poſteris non reliquiſſet, ubi data occaſione atque obiter peticularum mentionem fecit; credibile

aliqui ad effugiendum id malum, in loca quædam remota, & ſaluberrima ſeceſſerint, quos ibi nihilominus idem morbus tentaverit: cum interea indigenæ, ceterique habitatores ab eo prorſus immunes eſſent. Ac de aliis communibus morbis id etiam aliquoties obſervatum eſt.

(2) Poſteaquam diverſis in regionibus inſtitutæ fuerunt eruditorum hominum Societates, certiſque temporibus de phyſicarum inprimis, & medicinalium rerum edi ſolent Collectanea; facile quiſquam unus, non tam proprii nominis, quam publicæ utilitatis ſtudioſus curare poteſt, ut inſolita quæque, & memorabilia, in morbis diligenter a ſe animadverſa, pervulgentur.

bile omnino eſſet, eaſdem in regionibus citra mediterraneum, & maxime in tranſalpinis, neminem unum cognitas habuiſſe. Fere enim Medici Scriptores in morbis iis enarrandis operam poſuerunt, qui frequenter obtigiſſent, aut vulgares jam facti eſſent. quocirca variolas & morbillos quamplurimi; cetera duo exanthematum genera tantum aliqui, & potiſſimum Itali, expoſuerunt; *Roſſaliam* dico, eaſque puſtulas cutis, quæ ab his, patria lingua, *Vaivolo ſalvatico*, vel *Ravaglione* appellantur. Sunt enim aquoſæ & pellucidæ quaſi variolæ (Cryſtalli propterea dicuntur) modo cum parva febri, modo nulla, atque in aliis ægrotis paucæ, in aliis multæ, per cutem univerſam diſſeminatæ: qui morbus dierum aliquot ſpatio ſalutarem exitum habere ſolet. Præ ceteris Auctoribus INGRASSIA, ſicuti *Roſſaliam*, ita Cryſtallos in libro *De Tumoribus* deſcripſit, quippe qui tales veſiculas, præſertim Neapoli, ſæpe vidiſſet in pueris. Nam VIDIUS quidem ſplendentes iſtas agnovit puſtulas, paucisque verbis expoſuit; ſed tamen variolis, & morbillis, tamquam ejuſmodi morborum tertiam ſpeciem adjungendas non eſſe putavit: ex quo apparet eumdem Auctorem neque a morbillis diſtinxiſſe *Roſſaliam*, vel hanc minime cognoviſſe. A veris autem variolis diſ-

ſimiles cryſtallos Medici ſatis commode, ut mihi videtur, tali appellatione disjunxerunt. Poſt Italos Riverius de hac puſtuloſa corporis affectione, quæ ab Occitanis mulierculis *la Veirolette* nuncuparetur, in transcurſu loquutus eſt, ubi nimirum *de Variolis, & Morbillis* diſſeruit (1). Atque hæc tandem omnia de maculis, & puſtulis inter ſe diverſis, & cetera quæ dixi hactenus, etſi nimis multa fortaſſe videntur; me tamen ad miliarium hiſtoriam morborum, de quibus jam dicere ingredior, pedetentim, & commode perduxerunt: quin etiam aliquando mihi opus erit varias cutis efflorefcentias memoria repetere, ad eas cum miliariis ob qualemcumque analogiam comparandas.

Miliaria exanthemata, quæ interdum citra febrim obveniant, cunctis fere nationibus communia eſſe arbitror. Hujuſmodi ſunt ea, quæ Hippocrates, ceterique Græci Scriptores *Hidroa*, Latini Sudamina, vel ſudorum

(1) Vertente anno 1719 cum Auguſtæ Taurinorum, & aliis in locis Pedemontanis, frequentes eſſent variolæ; nullæ tamen apparuerunt in Ripulenſi pago, ubi complures interea pueri, & adoleſcentes nonnulli, dum ſumma æſtas erat, eaque præcalida & ſicca, ſeroſis puſtulis affecti fuerunt. Hæ rubella quadam linea circumdatæ, liquorem in aliis ægrotis plane limpidum, in aliis ſubflavum & lentum, continebant, qualis nempe inciſis veſiculis manabat: plerique omnes intra hebdomadam ſanabantur, aliqui vero ſerius, propterea quod, primis exareſcentibus puſtulis, alteræ ſimiles exoriebantur.

dorum Papulas nuncuparunt. Bene autem ſudaminum ſpecies Actuarius facit duas (1): ex aliis, ut ipſe ait, cutem ſcalpendo, ſanguis emanat, ex aliis humor pallidus. Neque ab his differunt Arabum *Eſſeræ*, quarum duplex quoque genus a Serapione conſtitutum eſt (2): vel enim, ex ſanguine cholerico genitæ, rubei coloris ſunt, acutæ, pungentes; vel ex phlegmate ſalſo, quæ idcirco longe minus rubeſcunt. Sed generatim a fervore quodam *Sufferſuras* dicit Fracastorius vulgo appellari; atque is, quem paullo ante laudavimus, auctor Siculus, a popularibus ſuis *Bruxoli*, vel *Bruſoli*, a Neapolitanis *Migliarino*, quod granis milii perſimiles ſint. Et recte quidem miliares papulæ nominantur in univerſum, quæ inde in rubras, & albidas dividuntur. itaque de rubris, ut intelligi licet, proprie loquitur Bontius (3) apud Indos frequentibus, quæ, nulla febri comite, aſperitatem cutis, & pruritum acerrimum inducant: addit ejuſmodi malo moleſtiſſimo corripi eos, qui recens in Indiam venerint. Fabius Paulinus, & alii



(1) *Method. Med. l.* 1. *c.* 23.

(2) V. *Pract. l.* 5. *c.* 8. Atque in eumdem fere modum *Eſſere* deſcribitur ab AVICENNA *Canon. Lib.* 4. *Fen.* 3. *Tr.* 1. *c.* 13.

(3) *Medic. Indor. l.* 4. *c.* 18.

plures Galeni Sectatores *hidroa* (1), ſive puſtulas, de quibus hic ſermo eſt, ab exundante ſudore fieri putant bilioſo, & valde mordaci; Fernelius autem ab ejuſdem portione humoris, qui ſub epidermide coercitus per cutis ſpiracula evadere non queat. Miliares vero papulæ & ſæpe inter ſudationem, & interdum in ſicco habitu corporis erumpunt. quamquam enim aſſiduus mador cutaneus, quaſi ſalſugo, ad eaſdem ciendas idoneus ſtimulus ſit; tamen a ſolo fervore, & appulſu ſanguinis acrioris ad cutem, præſertim cum exterior cauſa quædam acceſſerit, facile id genus exanthemata excitantur. quamobrem ubi calida regio, vel æſtivum tempus eſt, ſolent illa maxime in puerorum, & adoleſcentium brachiis, pectore, dorſo, reliquis etiam partibus efflorefcere. Et ipſe quidem Hippocrates, quo loco (2) febres continuas, & ardentes, tertianas, alvi profluvia, ceteraſque æſtivas recenſet ægritudines, ſimul *hidroa* commemorat. In *Conſtitutione Epidemica Sempronienſi* (3), quæ obtigit anno 1701, hæc breviter a Loewio narrantur: cum æſtuoſiſſimus fuiſſet Julius

mien-

(1) Quibus valde arridet vocabulum *hidroa*, tantummodo adhibendum ab iis videtur, cum papulas ichore plenas intelligi volunt.

(2) *Aphor.* 21. *ſect.* 3.

(3) V. *Hiſtor. Epid. Hungar. in Append. ad Vol.* 1. *Act. Acad. Cæſar. &c.*

menſis, exortæ ſunt tertianæ febres non diuturnæ; intereaque multi exanthematis miliaceis, valde moleſtis, non pueri modo, ſed adulti quoque & ſenes corripiebantur; quæ facile tamen per pharmaca refrigerantia, & balneum evaneſcebant. Memini me aliquando, fervente anni tempeſtate, nobiliſſimam Virginem, ſanguinei & calidi temperamenti, cum inſolita corporis vel animi agitatio nulla anteceſſiſſet, ſed veſpertina tantummodo, ac frigidula lenis aura ſpiraret, rubellis illico papulis miliaceis omni ex parte affectam fuiſſe: hæ autem poſtero die, ut citra ſudorem advenerant, ita penitus abierunt. Sed ea multo difficilius diſcuti ac reſolvi ſolent exanthemata, quæ a diatheſi humorum ſcorbutica originem ducunt: talia ſcilicet in cute diutius inhærent; vel, cum receſſerint, ſubinde revertuntur (1): ita impuræ & pravæ materiæ, quæ inimica eſt ſanguini, & viſceribus, pars aliqua ad corporis habitum vi quadam propria naturæ impellitur.

Varioloſæ quoque puſtulæ, quæ humano generi tantam ſæpe afferunt perniciem, vi-



(1) Hujuſmodi quidem papulæ generatim rubent: verum illæ etiam fortaſſe ab ingenito ſero ſcorbutico fiunt, quas in modum veſicularum, aquam continentium, infantibus familiares eſſe Germanus quondam tradidit Medicus HŒFERUS in *Hercule Med. l. 7. c. 6.*: de quo auctore poſtea dicemus.

ſæ ſunt interdum ſine manifeſta febri prodire, augeri, matureſcere, ac plane ſiccari. qualium ſe ſpectatorem fuiſſe variolarum Drelincurtius affirmat (1) tum ſporadicarum, tum popularium: atque in hanc rem ſimilia quædam exempla a Foresto deſumpta, Epiph. Ferdinando, Joh. Rhodio, & aliis in medium adducit. Idemque nobis conſtat de purpureis maculis, quæ tamen in febribus acutis peſtiferæ generatim ſunt appellatæ. In decurſu hiemis (annus erat, ni fallor, 1705) peticulares febres in hac urbe fuerunt admodum multæ, ex quibus graviter laborantes in publica Pauperum hoſpitali domo viros, & adoleſcentulas plures conſpexi: harum interim aliquæ, valetudinis incommodum vix ullum percipientes, conſperſa maculis brachia, initio purpureis, deinde ſublividis oſtendebant; ac tales aliis in partibus a ſe deprehenſas fuiſſe dicebant: paucorum autem dierum ſpatio univerſa cutis æquabilem colorem nativum recuperabat. Etiam Petrus a Castro (2) peticularum citra febrem efflореſcentium meminit. itemque burserus, in libello *De Febre Petechiali*, Ananbergenſes (3) aliquot ſe vi-

(2) In *Diſſert. de Variolis, & Morbillis*.
(1) *De Febr. Punctic. Sect. 3. Aphor. 32.*
(2) Annaberga oppidum eſt Superioris Saxoniæ in monte *Schneeberg* ſitum.

vidiſſe ſcribit, maculis omni ex parte corporis infectos, neque tum eos decumbentes, neque ullo ſymptomate afflictos.

Nunc de papulis miliaceis dicamus, quæ febribus aliquando intermittentibus adjunctæ ſunt, plerumque vero continuas comitantur, idcirco miliares proprie nuncupatas. Ubi *Conſtitutionem Epidemicam anni* 1720 exponit Bernerus (1), tertianas in Agro Cliviensi vagantes commemorat, quibus ineunte anno corripi cœpiſſent incolæ: omnino moleſtæ fuerunt hæ febres, cum exanthematis tota ægrotantium cute diffuſis, tum rubris tum albidis, quæ poſtquam evanuiſſent, alia continuo erumpebant: illæ porro ſimplices tertianæ in duplices, vel diarias tranſibant. In Additamentis ad Riverii *Obſervationes* quamdam legi narrationem febris tertianæ duplicis, cujus vehementes acceſſiones, & oborta ſimul exanthemata urentia ægrotum ita vexabant, ut de vita ejus timendum eſſe videretur: ſed experientis Medici opportuno conſilio facta ſanguinis miſſio peracerbum id ſymptoma, æque ac morbum, illico ſedavit; atque æger. brevi eſt ſanitatem conſecutus. Sæpe enim ferventium humorum, qui tales papulas, perinde ut eas



(1) V. Librum Auctoris *De efficacia, & Uſu Aeris &c.* §. 48.

febres, producunt, analogia quædam eſſe videtur: quod utique cum eo convenit monito Avicennæ (1): *Quum Eſſere invadit locum amplum* [ſive cum latius puſtulæ ſparguntur] *tunc ſi non ſiat phlebotomia, timetur febris tertiana.* Apud nos acutæ febres miliares non raro ab intermittentibus initium ducunt: ſed tamen veræ etiam tertianæ ſunt aliquæ cum hiſce papulis conſociatæ, vel ſponte ſua deſinentes, vel per corticem peruvianum, aliudve idoneum remedium, ſanabiles: in quo nihilominus adhibendo cortice interdum hæſitant Medici, ſub ejuſmodi febrium aſpectu latere virus illud malignum ſuſpicantes. Idem fere de peticulis obſervatum eſt, quas Petrus a Castro (2) ſe vidiſſe affirmat in tertianis, ſive intermittentibus, ſive continuis. Et paucos ante annos in hac urbe adultum hominem ægrotaſſe ſcimus ex tertiana ſimplici cum peticulis lividis, eumque convaluiſſe. Verum de hiſce febribus ſatis ſit: ad eas progrediamur, quæ proprie ſunt miliares; & primum de genere benignarum, poſt accuratius de acutis, & malignis dicemus.

In febribus æſtivis, inquit Hippocrates (3), *circa ſeptimum, octavum, & nonum diem aſ-*

*predi-*

(1) *Canon. l. 4. Fen. 3. Tr. 1. c. 13.*
(2) Loco paullo ante citato.
(3) *Epidemior. lib. 2. ſect. 3.*

*predines quædam miliaceæ, culicum morſibus fere ſimiles, quæ tamen non admodum pruriebant, in ſumma cute ſubnaſcebantur, & ad judicationem uſque perdurabant. Ac ne eæ quidem maſculorum ulli eruperunt. Mulier vero, cui talia fierent, nulla mortua eſt: hebetiori tamen erant auditu, & ſoporoſæ, quamvis antea non admodum ſoporoſæ eſſent, quibus iſta evenire debebant.* Hunc locum HIPPOCRATIS non ſatis attendiſſe videtur in *commentariis* ſuis VALLESIUS. Etenim aſperitates illas miliares, culicum morſibus ſimiles, putavit maculas eſſe, nimirum peticulas, *Tabardillo* ab Hiſpanis nuncupatas (1): qui morbus initio rariſſimus, nec multis ante annis, quam hæc litteris conſignaret VALLESIUS (2), frequens in Hiſpania factus, ortum ibi ſuum, ſimul & nomen habuiſſe dicebatur. itaque ex eadem ſententia ſubjungit auctor, in maculis diverſe coloratis differentiam *malignitatis* morbi poſitam eſſe, ut *cum nigris aut lividis vix ullus evaderet, cum*

(1) Non modo petechiales, ſed aliæ quoque febres acutæ vulgo *Tabardillos* ab Hiſpanis hodie vocitantur, ut in opuſculo alibi citato adnotavit BURLETUS. Illi autem, opinor, de *Tabardillo*, ſicuti noſtrates de miliari morbo, facillime ſuſpicantes, quaſi præſentem eum ipſum adſpicere ſibi videntur, ſtatim ac febrilis ægritudo quædam, eaque gravis, apparet.

(2) Auctoris Commentaria in Libros Hippocratis de Morbis Popularibus primo Madriti prodierunt anno 1577.

*cum rubris pauci admodum interirent*. Omnino autem perſpicuum eſt, nec de praviſſimis hujuſmodi febribus HIPPOCRATEM meminiſſe, ſed æſtivis tantum; neque de talibus maculis, ſed de miliaceis, aut culicaribus papulis (1), quibus ſolæ mulieres afficerentur, ita

(1) Ab aliis quoque Medicis miliares, aut culicares papulæ cum rubris purpureisve maculis, ideoque & miliares febres cum petechialibus confundi ſolent; unde is in quædam Lexica error manavit. In Vocabulario univerſali Gallico-latino vera quidem invenitur deſcriptio febris miliaris: quod autem ibi additur, eamdem febrim alio modo purpuream dici propter eas, a quibus nomen accepit, exiguas puſtulas, vulgo *Pourpre*, hoc ſane probari nullo modo poteſt. Inſuper exanthemata, quæ papulas aut puſtulas, interdum veſiculas, nuncupare conſuevimus, ibi latine definiuntur *Purpurei vari peſtilentis febris*; id quod rejiciendum omnino videtur. primum enim rubicunda ſunt illa, vel albida, vel inſtar chryſtalli pellucida: deinde Varus aliud quiddam in Pathologia ſignificat: *Varus*, inquit FERNELIUS, *tumor eſt durus, & exiguus, ex frigido craſſoque humore, quaſi in callum concretus*, iſque ut plurimum oritur in facie *: denique miliares papulæ neque in continuis tantum, in acutis, in malignis aut peſtiferis, ſed aliquando intermittentibus, benignis continuis, etiam tardis, quas *chronicas* vocant, febribus obſervantur.

Et ipſi quidem Auctores Lexici Medici, quod *Amaltheum* inſcribitur, in ejuſmodi errorem lapſi ſunt. Nimirum exanthemata in Morbis epidemicis ab HIPPOCRATE memorata, culicum morſibus ſimilia, eadem eſſe volunt (V. *Culex*) ac maculæ, quæ a Medicis recentioribus *Petechiæ* ſunt appellatæ: hæ vero pulicum morſibus, non culicum, aſſimilantur; quemadmodum vel in ipſo *Amaltheo* ſcriptum eſt in voce *Petechiæ*. Ceterum exanthemata, quæ indicavit HIPPOCRATES, parum ab iis differre puto, quorum in Atticæ peſtilentiæ Hiſtoria meminit THUCYDIDES: *Corpus*, inquit, *exterius non admodum fervens tactu erat, neque pallidum, ſed ſubrubrum, fuſcum, minutis puſtulis ac papulis ſcatens*: ſic enim hunc locum interpres au-

ita ut omnes tamen ægrotæ convaleſcerent. Itaque VALLESIUS, uti dicebam, cum ſingula HIPPOCRATIS verba minus conſideraverit, in ejus loci interpretatione hallucinatus eſt: quod utique erudito, & magni nominis Scriptori Medico ignoſcendum. ecquis enim eſt tam excellenti ingenio, doctrinaque præditus, ita ſollers, ita ſedulus, atque intentus ad omnia, ut lectitando, & multum ſcribendo, nihil eum fugere umquam poſſit? Nunc quoniam de miliari morbo agentes, in hunc de Hiſpanis ſermonem ingreſſi ſumus, ad cetera pergamus eodem ſpectantia, inde ad alias nationes progrediemur.

Ab hinc annis prope viginti cum artis Medicæ peritiſſimos viros, Madriti commorantes, de febribus miliariis percontatus eſſem per litteras, quod ſinguli reſponſum mihi dederunt, breviſſime narrabo. Scilicet in toto Caſtellæ tractu, ipſaque in urbe Madri-

ctoris, vir doctiſſimus, convertit e græco LAURENTIUS VALLA.

* Variolæ, aut Varioli a Varis nomen traxiſſe videntur, quam vocem latini quondam Scriptores in artem medicam introduxerunt: idque vocabulum plures apud gentes ita receptum eſt, ut litteris non valde immutatis, aut aliquo adjuncto, vernaculum fecerint: Itali *Vaiuolo*, Galli *petite Verole*, Hiſpani *Viruelas* vocant. Nunc igitur illa eadem nomina, jamdudum attributa certis quibuſdam morbis, haudquaquam ad alios recentius cognitos transferenda ſunt. ac nemo quidem unus ex Medicis, ut arbitror, puſtularum miliarium appellationem a variolis, multoque minus a varis, mutuandam eſſe cenſuit.

dritenſi febrem proprie miliarem, ſeu veſicularem, & malignam omnino raram, nec umquam popularem eſſe Higghins Anglus, & Cervi Parmenſis ſignificabant, primus Hiſpaniæ Regis Archiater, alter Reginæ Medicus: quod idem a Buoncuore Neapolitano (1), Medico Regio, erudito & officioſiſſimo viro comprobatum erat. Minimeque ab iis diſſentiebat Aulicus etiam Medicus Aquenza, qui febrem miliarem neque in urbe, neque in Caſtellana regione cognitam ſibi fuiſſe ullam declarabat: aliquando tamen in aliis provinciis, ac verno præſertim tempore, quaſdam vagari febriculas cum veſiculis cutaneis, aquoſo humore plenis, & illas quidem benignas, unius vi naturæ ut plurimum ſanabiles. Denique experientiſſimus Peralta raro affici miliaceis febribus Hiſpanos teſtabatur, neque ex iis ægrotantes in vitæ diſcrimen adduci: quibus propterea curandis febribus ob vaſorum plenitudinem opportuna eſſet detractio ſanguinis, & nonnumquam leniſſima diaphoretica adhiberentur. Atque hæc de tali argumento præcipua ſunt, quæ tum temporis ex Hiſpania accepi. Iam ipſa nos admonet regionum proximitas, ut ad Luſitanum celebrem Me-

(1) FRANCISCUS BONCORIUS, nunc Medicus Primarius CAROLI Regis utriuſque Siciliæ, atque in univerſo Regno Neapolitano Archiater.

Medicum, Zacutum adeamus: ecce autem in *Praxi* ejus *Admiranda* occurrit ſingularis Obſervatio quædam *De Febre Eſſeroſa* (1) ab eodem, ut opinor, Olyſſiponæ habita; qua in urbe tricenos annos commoratus fuiſſe dicitur, priuſquam in Hollandiam veniret (2). Nimirum pueruli duo ex febri continua, dolore capitis, & laſſitudine laborabant: nocte affatim erumpunt ad cutim puſtulæ, quas ipſi poſtero mane ſcalpentes diſrumpunt; atque ab his ichor tenuiſſimus emanat: qui adſunt ægrotis Medici quatuor, variolarum ſpeciem eſſe arbitrantur: interim ex calido regimine irrequieti exardeſcunt pueri, pruritu vexantur, & novæ comparent veſiculæ, primis jam exſiccatis: tum arceſſitus ad eos Zacutus diverſi cujuſdam generis puſtulas, videlicet *Eſſeras*, demonſtrat, ex ichoroſo ſanguine, quales potiſſimum æſtivo tempore, & in bilioſis corporibus, exoriri ſoleant: itaque detrahi ſanguinem jubet, ptiſanam dari, & cetera fieri, quibus illi optime convaluerunt. Quod ſiquis diceret ejuſmodi caſum potius in Batavia eveniſſe, ubi vitæ ſuæ tempus reliquum exegit Zacutus; ſaltem Au-

(1) *Obſervat.* 16. *l.* 3.

(2) ZACUTUS e Luſitania decedere, propterea quod Judæus eſſet, circiter annum 1624 PHILIPPI IV Regis edicto coactus ſuit: quare in Hollandiam ſe recepit, ubi medicam artem, maxime Amſtelodami, profeſſus eſt, & admodum ſenex interiit.

Auctoris hæc eadem obſervatio plane conſentiret cum altera Foresti, quippe qui medicinam apud Batavos diutiſſime factitavit, ac talia exanthemata in æſtu caniculæ, præſertim pueris, modo cum febri, modo ſine febri, infeſta eſſe tradidit. & Scriptor uterque cavendum eſſe admonet, ne victus, aut remediorum uſu perverſo idem morbus ingraveſcat: verum hæc opportunius alio loco exponemus. De miliariis febribus in univerſum rogatus aliquando a nobis Medicus Profeſſor in Academia Lugduno-Batava Osterdikius, perpaucas ſe vidiſſe reſpondit, eaſque benignas; quibus idcirco nec ſanguinis miſſionem, neque alia medicæ artis auxilia, præter diluentia, & mitiſſima diaphoretica, adhibuiſſet. Leves etiam in Gallia febres dicuntur eſſe cum rubris exanthematis, quales item puerperis nonnullis ſuperveniant. Itali Scriptores, ſicuti de papulis miliaceis citra febrim, ita de iis cum febri conjunctis mentionem fecerunt, in primis Martianus, ubi locum Hippocratis illum, de quo ſupra diximus, interpretandum aggreditur: ſæpe enim papulas in febrili fervore ſe obſervaſſe perhibet, ſudaminibus fere ſimiles, vel minutis tuberculis, quæ a culicum morſu excitantur: cujuſmodi exanthemata fuerunt aſpredines cutaneæ ab

Hip-

HIPPOCRATE memoratæ. ac talia recenter in quadam muliere ſe adnotaſſe affirmat, quæ ardente febre, cum aliqua mentis alienatione, & alvi fluxu laborabat: idemque addit, papulas id genus a ſero ſalſo & bilioſo fieri, maximeque mulieribus, ac pueris evenire. hæc ſcilicet eximius iſte docuit HIPPOCRATIS interpres. De ſtudioſo quodam atque erudito viro, Piſis commorante, in ſuis ad me litteris narrabat olim ZAMBECCARIUS, illum nempe ex vehementi commotione animi in continuam febrim incidiſſe, ſimul in exteriore toto corpore puſtulas rubentes, granis milii perſimiles, apparuiſſe: ob ſanguinis fervorem, & cutanei humoris mordacitatem aliquoties incidi venam juſſit ZAMBECCARIUS, & aquam fontanam liberaliter bibendam dedit: morbus admodum remiſit, ſed aliquandiu, cum eſſet hibernum tempus, perduravit. Cetera omitto, quæ mihi alias ab excellentibus inter Italos Medicis de hoc genere morbi miliaris minime pernicioſi denunciata fuerunt.

Quondam in hac urbe mulierem, ætate florente, optimoque corporis habitu, inviſi, quæ biduo poſt editum puerum, unde larga ſanguinis effuſio conſecuta erat, cutaneis ſparſim affici papulis rubentibus cœpit: pulſus vix febrilis; leviculus dolor capitis; aſſi-

dua

dua diaphoreſis: die tertia ſubviridia ventris excrementa; urinæ ſaturæ; poſtmodum alvus conſtipata; uteri purgamenta ſemper mediocria; noctu moleſta cutis prurigo: nihilominus ad multas horas quotidie in lecto ſedebat hilaris femina, cibi appetens, palliolo dumtaxat ex panno lineo contecta; tunc enim Auguſtus erat menſis, & quidem fervidus: de reliquo victus rationem accurate ſervabat; identidem oleo dulcium amygdalarum, & continenter diluente potione utebatur: duodecim fere dierum ſpatio convaluit, ac decidentibus cuticulæ ſquamulis nativum corporis exterioris habitum recuperavit. De alia memini juvene primipara, quæ partus die poſtero pauculam requietem habens, ſubinde etiam (cum alioqui vix febricitaret) pectoris anguſtia premebatur: hinc brevi puſtulæ miliares, partim rubræ, partim albidæ, comparuerunt; ex quo magnum levamen ægrota percepit, ſeptemque dierum ſpatio ſanitas ei reſtituta eſt (1). Sed etiam ex perlucidis puſtulis, aut veſiculis, quæ dicuntur cryſtallinæ, cum parvula febri, nulloque gravi ſymptomate, homo quidam maturæ ætatis laboravit: qui morbus dolore articulorum ſuperveniente (nam ille

(1) Hujuſmodi febres miliares identidem a noſtratibus Medicis obſervari ſolent, intereadum aliæ graves & malignæ paſſim vagantur.

ille alias arthriticus fuerat) ſalutarem exitum habuit. Ceterum de albidis puſtulis, quas natura deteriores eſſe rubris Auctores multi prodiderunt, ſcire licet interdum eas toto corpore non abundanter diffundi, ſed per aliquas tantummodo partes magnis intervallis diſpergi, ita ut ægrotantes ne gravi quidem febri, neque moleſtis ſymptomatis afficiantur: atque id ipſum omnes quidem norunt in varioloſis affectionibus (1) aliquando evenire.

Quamquam vero hi miliares morbi, per ſe ipſi mites, nullum vitæ periculum afferre videntur; tamen ex neglecta victus ratione confeſtim ingraveſcere poſſunt; quemadmodum Forestus (2) vertente anno 1556 obſervavit in duabus puerperis, quæ papulas rubentes, velut ex culicum morſiunculis habebant. Primam nempe a ſuſcepto frigore incidiſſe dicit in dolorem ſtomachi, cardialgiam, defectionem animi, cum pulſu debili, & anguſtia præcordiorum: quæ nihilominus ſymptomata, vi medicaminum denuo propulſis ad cutem exanthematis, paulatim evanuerunt. In altera, quæ verno tempore puerum ediderat; hinc bene omnia proceſ-

F ſerant

(1) Variolæ ſcilicet illæ ſunt, quas Galli vocant *Petite Verole volante*. V. COL DE VILARS *Diction. de Medecine &c.*

(2) *Obſervat. lib. 6, obſ. 60.*

ferant, poſt duas a partu hebdomadas, inopinata eruptio facta eſt rubrarum papularum; atque hæc etiam puerpera, admiſſi frigoris cauſa, & repreſſis puſtulis, in eaſdem fere, ut illa prior, affectiones incurrit: tum vero Forestus idoneis pharmacis revocare papulas ad cutem conatus eſt, id quod bene ac proſpere ſucceſſit. Hœferus, in Aula Cæſarea quondam Medicus, exanthemata quædam commemorat (1) morbillis ſimilia, quæ pueros, & conſtantis quoque ætatis homines in decurſu hiemis, & inſequentis veris (2) divexabant: his adjecta erat febris continens, quæ altero die, vel ad ſummum tertio, deſinebat: itaque brevi omnes ſanabantur, præter Ancillam, quæ de rebus domeſticis valde ſollicita, frigido aeri ſeſe commiſit: huic enim oborta eſt difficultas ſpirandi, compreſſio cordis, laſſitudo gravis, ut in magno vitæ periculo

(1) V. *Hercul. Medic. lib. 7. c. 6. De Infantium Affectib.* Auctor in hoc Volumen *Locorum Communium* præcepta & obſervationes præſtantium Medicorum, & proprias contulit; idemque opus emiſit ipſe in lucem, quod ſemel & iterum poſt ejus obitum Germani ediderunt. Fuit autem HŒFERUS Friſingæ natus, vir ſtudiis deditus, & in arte ſua multum verſatus. Javarinum, Inferioris Hungariæ oppidum ab IMPERATORE miſſus ad Præſidiarii Medici munus fungendum, ibi ſupremum diem obiiſſe ſcribitur A. 1661.

(2) Hæc ſcilicet Viennæ habita eſſe obſervatio videtur anno 1634, ut ex iis colligi poteſt; quæ prius ab Auctore tradita ſunt in eodem *cap. 6.*

lo eadem verſaretur: ſed tamen ad accuratam diætam continuo redacta, ſimul diaphoreticis utens pharmacis, paullatim convaluit.

Quod ſi hujuſmodi ægritudines, ſuapte natura leves, ob aliquod erratum in victus ratione periculoſæ fiunt; facile quiſquis intelligit, tum eas profecto graviſſimas fore, cum peculiaris quædam inſita ſit humoribus pravitas, quæ maxime ſolet in ipſis puſtulis inhærere. Quapropter in illa Obſervatione de puerperis duabus paullo ante citata, præcipit Forestus ad tales papulas magnopere attendendum eſſe, quæ, ſi retrocceſſerint, aliquando ſyncopem, & ſubitaneam mortem afferant: quemadmodum eveniſſe dicit *uxori Henrici Duyſtii, quæ ſubito extincta eſt: tales igitur oportere puerperas diligenter cuſtodire*. Sed inſuper Zacutus, ubi *Eſſeroſam Febrim* exponit, de qua loquuti jam ſumus, notabile documentum illud ſubjungit: *Tu vero*, inquit, *in opere practico hanc Eſſeræ curationem bene obſerva, in cujus præſagio, & curatione non ſolum ſecundæ, ſed etiam primæ notæ Medicos miſere deceptos ſæpe deprehendi*. Ex quibus colligere licet, miliares morbos, ſive mites re ipſa & benignos, ſive fraudulentos & feros, apparuiſſe jampridem in Batavia: tametſi mali-

gnum ejuſmodi nullum in ea regione ſe vidiſſe Boerhaavius in quadam Epiſtola (1), quæ penes me eſt, declaraverit: & ſupra lau-

(1) Hanc BOERHAAVIUS epiſtolam ad Medicum & collegam meum dedit: & quia malorum puerperis obvenientium ſingularem ibi quamdam ætiologiam tradidit, hic mihi viſum eſt ab eadem epiſtola totum illud caput apponere. Quæſtio autem erat, num Batavæ mulieres a partu inciderent aliquando in acutam ſebrim miliarem; atque ita vir ille clariſſimus reſpondebat.

*Morbum, de quo ſcribis, non memini vidiſſe inter noſtrates, neque puerperis aliquid ſingularis mali accidere, quod & referri poſcat. Quoties mulieribus, recta prius valetudine fruentibus, puerperii mala oborta vidi, toties fere ſemper ea contingere vidi ex ſanguinis corde expreſſi itinere in vacuas, laxas arterias, in abdomine ſitas; quæ paullo ante partum a mole Fœtus, aquarum, & ſecundinarum, adeo compreſſæ fuerant: quippe tunc cerebrum, nervi, ſpiritus ſuis in actionibus mirifice turbari, mille morbi ſpecies formare, & inani malignitatis ſpecie terrere, nimis ubique deprehendi. Hæc tamen omnia vitari didici ſi adductis latis faſciis conſtrictus venter comprimit ita arterias, ut æquabilis ſit preſſi ſanguinis actio æque ad ſuperioris, quam inferioris aortæ ramos ipſo temporis articulo quo collabitur, onere liberatum diſtendente, abdomen. Videbitur fortaſſe parum pertinere tua ad quæſita reſponſum. Vidi tamen hac unica natos cauſa morbos etiam maculis malignis truculentos, falſoque ſuſpectos peſtilentialis labis: ut velocitatem* [ talium intellige morborum ] *anomala ſymptomata, maculaſque corpore diffuſas. Hæc ſunt quæ dicere potui ad propoſita. ſi inde ignorantiam nudaverim meam, tamen gaudebo, ſi vel ob ſinceritatem placuero. Vale! Leydæ die 14. Jul.* 1730.

Qui novam hanc hypotheſim animo attenderint, eamque ſive plurimi, ſive admodum pauci probaverint; certe quidem omnes candorem & modeſtiam hominis doctiſſimi, & ubique gentium celeberrimi, valde commendaturos eſſe arbitror.

Ceterum ejuſmodi ætiologiam, ſimul & rationem tuendi a morbis graviſſimis puerperas per cingula ventrem comprimentia, non modo nobiſcum privatim communicavit BOERHAAVIUS, ſed etiam publice docuit. V. *Prælect. Acad. in propr. Inſtit. Med.* §. 686.

laudatus Osterdikius in perſcripto ad nos Conſilio teſtatus ſit, perpaucas febres miliares, & eas quidem benignas, ſpatio annorum triginta quattuor, ſe deprehendiſſe. Neque enim, ut ante dicebam, ex repreſſis modo puſtulis, cum benigna febris eſt, periclitantur ægroti; verum etiam miliaris morbi ſpeciem illam per ſe malignam, infeſtamque humano generi, jamdiu Medici obſervarunt.

Hoc autem aliis in regionibus frequens eſt malum, ac velut endemium, in aliis quamplurimis ignotum eſſe dicitur, ut præter ceteras de Gallicanis maxime Provinciis, ipſique Galliæ finitimis, tum de pleriſque Italicis, audivimus. Attamen vir doctus & experiens Carolus Piso (1) cutaneas quaſdam affectiones, inſtar hydatidum, exponit, quæ univerſo corpore diffuſæ, continentes febres non raro comitentur. deinde ſingularem enarrat morbum nobilis Pueri, ſynocho putri laborantis, cum laſſitudine, dolore capitis & dorſi, ſummaque pectoris an-

 guſtia

(1) V. *Obſervat. & Conſilior. ſect. 5. cap* 4. qui primo liber editus fuit An. 1618. Vixit autem CAR. PISO, celebris NICOLAI filius, ætate illuſtrium Medicorum Pariſienſium, LUDOV. DURETI, SIMON. PIETREI, & PETRI SEGUINI, quos idem præceptores ſuos appellat. Conſiliarii & Medici munere perfunctus apud HENRICUM I, Lotharingiæ Ducem, Nanceii deceſſiſſe creditur A. 1633.

guſtia, ut prope ſuffocari videretur: quartum circiter diem acceſſit vigilia, & delirium, ac tota maculis conſperſa cutis apparuit; ubi exortæ ſunt veſiculæ pruriginoſæ, non deſinentes in acumen, ſed in latitudinem protenſæ, exteriore corporis habitu intumeſcente: apertis veſicis humor aquoſus effluebat, quæ poſtea exſiccatæ in furfures abierunt. Anomalas hujuſmodi puſtulas, diverſamque formam vel ex toto, vel ex parte habentes, nonnunquam iis in febribus cernere licet, quæ natura miliares ſunt. neque tantummodo ex plurium conjunctione puſtularum fieri corpus unum veſiculare animadvertimus; ſed etiam per ſe, potiſſimum in manibus, veſicas, tamquam ex ambuſtione, excitari, quas opus erat incidere, ut acer humor emanaret. puſtulas autem grandioribus variolis ſimiles perſæpe conſpeximus (1). Cum Gratianopolim veniſſet

(1) Ipſarum quoque Variolarum quanta ſit diverſitas, nemo ignorat, quarum multæ ſpecies hac ætate a Scriptoribus enumerantur; præter ſingulares quaſdam, etiam in benignis, anomalias, quæ rarius contingunt, ut in magnitudine aucta, vel admodum imminuta. KOLICHEN * puerum Æthiopem, qui ante ſex menſes in Daniam pervenerat, variolis affectum, eodem ibi tum graſſante morbo, curavit. univerſum pueri corpus, excepta facie ſcatebat puſtulis adeo minutis, & in ea parvitate ad finem uſque morbi permanentibus, ut milii ſemina non æquarent; tantumque in manibus & pedibus paullo majores erant: materſamilias, ægroti cuſtos, KOLICHENIO narrabat id

niſſet Riverius anno 1630, ad ægrotum adoleſcentem accitus fuit (1): hic, annum agens vigeſimum, ex acuta febri graviſſime laborabat, cum purpureis maculis: die morbi decimo ſexto plurimæ circa veſicatorium puſtulæ, quaſi variolæ, tum aliæ per dorſum, lumbos, & nates apparuerunt; quæ poſtridie prope omnes diſruptæ ſunt, atque evaneſcere cœperunt: interea minimarum, & innumerabilium veſicularum, quæ limpidum humorem continebant, in toto pectore, & hypochondriis, eruptio facta eſt; ſimul febris atque delirium remiſit, quin etiam æger poſteris diebus omne fere tempus dormiendo exegit: itaque erumpentes puſtulæ, morbo jam valde provecto, ſalutares fuerunt. Ceterum miliares febres perniciofas cognovit profecto Rivervs: ubi enim de *Febre peſtilente* ſermonem habet, initio ponit a purpureis maculis exanthemata differre, quod illæ, nullo modo elatæ, ad mutatas cutis qualitates; hæc vero ad tu-

 mo-

plane ipſum a ſe conſpectum fuiſſe in puella Æthiope, quæ puſtulis quoque immunem omnino faciem habebat. Inſuper de puero illo adnotavit Auctor, ſiccatis primis variolis, erupiſſe alteras, ac deinde tertias, eaſdemque perpetuo minimas; atque hanc propter cauſam longiori tempore Æthiopem ſuum, quam Europæi ſoleant, ex variolis decubuiſſe.

* V. *Medic. Septentr. Collat. Tom.* 2. *p.* 221.

(1) V. *Obſervat.* 21. *Centur.* 1.

morum claſſem referantur (1): porro exanthemata eſſe aliquando varorum magnitudine, alias minora, & granis milii ſimillima: tum alia rubra, tamquam ex ſanguine genita, aliaque alba ex ſero, vel pituita; deinde ceteras earum varietates perſequitur. Et quoniam minime inſolens eſt, ut cum alius generis exanthematibus conſpicientur miliaria, doctiſſimus Helvetius (2), ubi diſtinctarum ex prava qualitate variolarum ſecundam ſpeciem deſcribit (3), perpauculas dicit in corpore varioloſas puſtulas, & procul alias ab aliis eſſe diſperſas, ut ſæpe tres quattuorve in brachio reperiantur: ſed tamen exilium veſicularum, pellucido ſero turgentium, pluribus in partibus, maximeque in pectore incredibilem numerum inveniri, quæ inæqualem aſperamque cutim efficiant. quamobrem animadvertit principalem hic morbum cenſeri malignam ſe-

(1) Solent quidem Medici exanthematis vocem, a Græcis metaphorice inductam, ad omnia quæcumque germinent in cute, aut efflorescant, ſive in ſpeciem macularum, ſive puſtularum, adhibere; tum adjectivo nomine appoſito ambiguitatem tollere: quod tamen a paucis fit, nec ſemper ita fieri poteſt, ut nihil ambiguum remaneat. ſed amphiboliam ſuſtulit omnino RIVERIUS, cum alterum vocabulum ab altero, nempe a maculis exanthemata diſtinxit.

(2) E Regia Scientiar. Pariſienſi Academia; REGINÆ Galliarum Medicus Primarius &c.

(3) V. *Obſervations ſur la Petite-Verole*, Tit. *Des Petites-Veroles Diſcretes*.

ſebrim debere, & varioloſa tubercula tantum pro ſymptomatis habenda eſſe. Rectum ille quidem hac de re judicium tulit: ſi vero liceret ejuſmodi morbum a præcipuis exanthematis denominare, aliqui fortaſſe miliarem potius febrim, quam varioloſam dicerent. Sed iſta mittamus, quæ in utramque partem diſputabilia videri poſſunt; ac de certis exploratiſque miliaceis febribus, quæ ſub ipſo Galliæ cœlo acciderunt, ſermonem proſequamur. Nobilis Adoleſcentis funeſtam ægritudinem ita exponit Cl. Quesnay (1): corripuit eum febris, quæ, principio mitis, adjunctum habebat alvi fluxum valde fœtidum: ſeptimo die acceſſio febrilis adhuc modica, octavo gravis, nono graviſſima, cum anxietate, & ſpaſmodicis in carpo commotionibus tendinum: ad diem uſque vigeſimum primum hic rerum ſtatus; quo die rubentia exanthemata toto corpore apparuerunt, quæ continuo parvularum formam veſicularum, ichorem continentium, nacta ſunt, ac biduo poſt æger deceſſit: ex ore cadaveris, velut ex loco gangræna affecto, multa ſanies manavit. Perſpicuum eſt maximam hic humorum pravitatem & corruptionem exſtitiſſe, quam putidum illud alvi profluvium inter initia indicavit, tum hæc ipſa

(1) V. *L'Art de Guerir par la Saignée*. *Sect.* 2. *c.* 1.

morum claſſem [illegible] ſanies patefecit : & anthemata eſſe [illegible]ptio, inclinante ſci-tudine, alias [illegible] ſoleat, huic tamen lima: tum a[illegible] tremum adducto pro-ne genita, [illegible] autem longe nota-ta; deind[illegible] auctor de febre qua-quitur. [illegible]ra miliari enarrat (1): ut cum [illegible] lingua vernacula, *Fre-*cientur [illegible] a Medunta (2) pau-ubi d[illegible], ſub æſtatis initium po-rum [illegible]ris acuta, cujus comes pa[illegible]s, ac fere perpetuus: die l[illegible] tertio prodibant undique [illegible] exigua & rubra exan-[illegible] unde in albidas, & milio [illegible], limpido humore plenas, [illegible] etſi febris vehemens non [illegible] tamen peracri & urente calore [illegible] mente conſtare ſoliti erant, [illegible] capite conqueri; ſolum oculos fulgen-[illegible], & lacrymali humore perfuſos habebant: [illegible] declinare mortem non poterant, aliquan-[illegible] prius febrilem æſtum vehementiorem pa-tiebantur; tum agitationes membrorum una cum delirio accedebant, iidemque paullo poſt interibant: cadaverum tantus erat fœ-tor, ut, ea quamprimum fieri poſſet, in ſe-pul-

(1) V. in eodem libro caput inſcriptum *Fievre Pourprée.*
(2) Gallice *Mante*: oppidum eſt ad Sequanam, in Inſula Franciæ, ſic appellata.

pulcro condi ſolerent. De remediis, quæ a principio graſſantis morbi noxia, ac de iis, quæ poſtmodum utilia fuiſſe perhibentur, fortaſſe alius erit opportunior aliquando diſſerendi locus. Jam pergamus ad ea breviter exponenda, quæ de hoc febrium genere Scriptores Itali prodiderunt, vel qui aliquo in tractu Italiæ, aut huic finitimo, medicam artem profeſſi ſunt, præter alia, quæ a nonnullis per litteras, vel auditione accepimus.

RODERICUS a FONSECA, primum in Piſano, tum in Patavino Gymnaſio Medicus olim Profeſſor (1), hominem quemdam acuta febri afflictum commemorat, cujus pectus, die quarto, itemque dorſum *aſperitatibus miliaceis* plane rubris opertum fuit: atque animadvertit auctor id malum pro novo & inaudito habendum non eſſe, utpote quod in Corſica Inſula prius comparuiſſet. Confundit autem, ut VALLESIUS, & alii fecerunt, ejuſmodi exanthemata cum peticulis, quæ ſcilicet in Corſica, in Cypro, & alibi jampridem obſervatæ fuerant. Qua in re is minime hallucinatus eſt, qui ante FONSECAM, & amplius ducentis abhinc annis, de *Febre peſtilente* librum evulgavit NIC. MAS-

SA

(1) V. Auctoris *Opuſculum, quo Adoleſcentes ad Medicinam facile capeſſendam inſtruuntur &c. pag.* 61. *edit. Florentiæ* A. 1596.

sa: non enim maculas tantum, ſive peticulas, ſed eminentes quoque papulas exponit, quæ pruriginoſam & aſperam cutim efficiunt (1). ac febres quidem omnes, in quibus talia in exteriore corpore efflorefcant, diſſimilem formam habentia, uno eodemque capite ideo ſe comprehendere dicit, quod cunctis id genus morbis communis ſit peſtifera qualitas. Sed qui Massam ætate conſecutus eſt, vir doctus & experiens, Petrus Salius, memorata exanthemata accuratius diſtinxit a peticulis, eorumque differentias tradidit (2). alia nimirum alba eſſe docet, alia rubicunda; item alia ſeminis milii magnitudinem non attingere, alia ſaltem exæquare, & nonnulla etiam excedere; denique modo pauca, modo plurima, & interdum innumerabilia eſſe, ut locus in cute vix ullus a papulis vacuus reperiatur. Hiſce auctoribus annumerari poteſt Roboretus, qui peticularem febrem Tridenti graſſantem anno 1591 diligenter enarravit. ubi enim macularum differentias perſequitur, puſtuloſa quoque exanthemata agnoſcit, in quibus tamen deſignandis communi peticularum nomine abutitur: idcirco duplices peticulas facit; ab aliis cutem non elevari, ne-

(1) *Tractat.* 3. *c.* 4.
(2) *Tractat. De Febre Peſtil. &c. c.* 18.

neque inæqualem aſperamque reddi; alias vero, quæ rariſſimæ ſint, exiguorum inſtar tuberculorum eſſe demonſtrat, vel exilium variolarum. Sed multo ſane melius ceteri, qui pulicarem febrim a culicari ſeparaverunt; quamquam inter utramque ſpeciem proxima cognatio ſit. Et Petrus quidem a Castro (1) tametſi alteram paullum differre ab altera cenſeret, attamen ejuſmodi malignas puſtulas ad culicarem febrim retulit. Atque hic adnotare licet, non eos modo auctores, quorum meminimus, ſed in primis Hippocratem comparaviſſe culicum morſibus exanthemata illa, quæ ipſemet aſpredines miliaceas nuncupavit. Quamobrem ſuſpicari quiſpiam poſſet, quibus in ægrotis, ut in *Fullone*, in *Pherecide*, in *Euphranoris filia* (2) puſtulas veluti culicum morſus idem commemorat Hippocrates, has etiam ad genus miliarium quodammodo pertinere. Sed apud Aetium quiddam minus ambiguum reperimus: ubi enim de febribus ſermonem habet (3), quæ a depravatis admodum humoribus accenduntur, parvas ſub initia puſtulas dicit in corpore

uni-

(1) *Febr. Mal. Puncticul. Sect.* 1. *Aphor.* 7.

(2) *Epidemior. lib.* 7. Num. 87, 91, 112; & in eodem libro Num. 51 de *Andrea* mentio fit, qui cutem habebat pruriginoſis, & calidis puſtulis affectam.

(3) V. *Tom.* 1. *De Re Medica l.* 5. *c.* 29. interprete *J. B. MONTANO.*

univerſo, aut pleriſque membris efflореſcere, vibicibus aut culicum morſiunculis ſimiles . . . aliquando igneas eſſe ac pruritum facere . . . . conſueviſſe, ſi retroceſſerint, perniciem afferre. hæc autem ex Herodoto, ut reliqua, ibidem docet Aetius. Ac de puſtulis quidem iis, quæ nonnumquam inſtabiles appareant in febre peſtilente, ad hunc modum loquitur Avicenna (2): *Quandoque accidit cum ea bothor ſubalbida, & rubra, & quandoque eſt velocis apparitionis & occultationis*. ita ſcilicet papulæ deſignari videntur ſudaminum ſimiles, quas alibi auctor ipſe *bothor ſpinoſos* appellat (4). Ex quibus propterea locis veriſimile ſit, neque veteribus Medicis, qui Græciam, & Aſiaticas regiones incolerent, acutas febres ex quadam ſpecie miliarium prorſus ignotas fuiſſe. Verum hæc alii viderint accuratius, quæ dumtaxat indicare voluimus; atque ex ordine inſtituto ad reliqua progrediamur.

Superioribus annis quicumque in hanc urbem veniebant Itali, & inter eos quidam præcipue Medici, de miliari morbo ita frequenti apud nos, graviſſimo, & ſæpe funeſto plane omnes mirabantur; cum eorum nemo ſive in patria ſua, ſive in iis, quas pera-

(2) *Canon. Lib.* 4. *Fen.* 1. *Tract.* 4. c. 2.
(4) *Lib.* 4. *Fen.* 1. *Tract.* 3. c. 8.

peragraviſſet, provinciis, quidquam tale audiviſſet. Alii etiam ex multis Italiæ locis mihi per litteras affirmabant, vel numquam in puerperis ejuſmodi luem, tum maxime noſtratibus infeſtam; vel cutaneas tantum papulas, eaſque benignas interdum ſe obſervaſſe. Verumtamen abhinc annis fere viginti ad me ſcribebat Barthol. Curtius, aliquas Mediolani ſe vidiſſe olim puerperas ex febre continua graviter laborantes cum exanthematis miliaceis; nec vero, quantum ipſe meminiſſet, ex iis ullam e vita ereptam fuiſſe. Eodem propemodum tempore Zambeccarius mihi per epiſtolam nunciabat de nobili Florentina muliere inopinatum eventum in puerperio, quæ ſcilicet ex miliari morbo periiſſet. Inſuper abhinc aliquot annis auditione accepi, quamdam in Etruria feminam, itidem puerperam, ejuſdemmodi malo graviſſime afflictam fuiſſe, quæ tamen convaluiſſet. Utinam iis in locis, ubi nonnullum hujuſce luis feminium caſu, & fortuito exortum eſt, non reviviſcat, nec late diffundatur, ac denique conſiſtat, quemadmodum hic nobis infelici quodam fato evenit. Sed noſtram calamitatem poſtea narrabimus: prius enim de aliis nationibus, quibus eadem jamdudum ingruit pernicies, maximeque de Germanicis dicendum.

Pri-

Primus omnium GOTTOFREDUS WELSCHIUS, Medicinæ Profeſſor Lipſienſis, anno 1655 libellum evulgavit (1) de maligna quadam febre, tamquam novo Puerperarum morbo, qui nempe a triennio graſſabatur Lipſiæ, adeo communis mulieribus, quæ recens peperiſſent, ut pars earum vix decima incolumis curriculum puerperii abſolveret: interim ægrotantes, cum remedium prope nullum iis prodeſſet, pleræque moriebantur. Hujuſmodi morbum antea inviſum, neque illis Medicis cognitum, Lipſienſes feminæ *der frieſel* appellabant, propterea quod a rubris exanthematis inæqualis facta cutis & aſpera quamdam cum laneo panno verrucoſo ſimilitudinem haberet. a granis autem milii, quorum ſimiles papulæ viderentur, deſumpto nomine, febrem miliarem primus etiam WELSCHIUS id malum eſſe nuncupandum putavit: quod veluti geminum, vel *duplici ut plurimum facie* ſe oſtenderet (2), *plerumque rubra*, *non raro alba*; *primum* ſcilicet *cum inſigni ac intenſo ſemper corporis calo-*

(1) Libelli inſcriptio hæc eſt: *Hiſtoria Medica Novum Puerperarum Morbum continens* &c., quam partitus eſt Auctor in capita tria: in primo ideam morbi; in ſecundo vulgarem ejus curandi rationem; in tertio de natura, cauſis, & curatione ſententiam ſuam expoſuit: quæ omnia in Theſes fere centum diſtributa, publicæ Diſputationi, & doctorum hominum judicio ſubjecit die 20. April. 1655.

(2) *V. Cap.* 3. §. 18.

*calore*, *rubore*, *pruritu*, *&* *aſperitate cutis duriuſcula; alterum quoad calorem*, *pruritum juxta ac rubedinem remiſſius*, *&* *puſillis albicantibus puſtulis*, *ichorem in ſe continentibus*, *conſpicuum*. Itaque ſub duplici hoc aſpectu per annos amplius tres infeſtum ſolis a partu mulieribus, ac formidabile fuit: quamquam animadvertit Auctor (1) jam demum *unam alteramve non gravidam corripi eodem malo cœpiſſe*. Atque id poſtmodum in ea prænobili urbe utrique ſexui familiare factum fuiſſe, qui GOTTOFR. WELSCHIUM conſecuti ſunt, Medici tradiderunt. Porro hæc ipſa lues, quæ tum Lipſienſium propria & peculiaris eſſe civium videbatur, decurſu temporis non modo Miſniam, totumque Saxoniæ tractum, ſed longe lateque Germaniam, immo vero alias etiam regiones invaſit. Apud GEORG. HIERON. WELSCHIUM (2) hiſtoriam legiſſe memini primiparæ mulieris, quæ Auguſtæ Vindelicorum, anno 1660, in acutam febrim ex ſuppreſſis lochiis incidit, cum rubore & aſperitate cutis, ſummaque virium imbecillitate, ut ægrotantis jam deſperata ſalus tertio morbi die ab omnibus haberetur; atque eadem revera paullo poſt occubuit. ſed febrem



(1) *Cap.* 3. §. 24.
(2) *In Decade* 1. *Curation. & Conſilior. Medic. Curat.* 2.

brem iſtam, Lipſienſi licet ſimilem Auctor ipſe agnoſceret, improprie, ut mihi videtur, coccineam denominavit. Quam deinde progreſſionem hic morbus fecerit Auguſtæ Vindelicorum, ignari ſumus. Nos quidem docet in opuſculo quodam ſuo (1) Lochnerus, hanc novam, ut ipſe vocat, Purpuram (2), quæ ante annos fere triginta Norimbergenſibus incognita erat, tandem apud eos apparuiſſe, benignam inter initia, atque annis inſequentibus graviorem eſſe factam, & potiſſimum in puerperis ac vegetis virginibus

(1) *Mungos Animalculum, & Radix deſcrip. Norimb.* 1699.

(2) Recentes quidam Scriptores, ceteroqui medicæ artis bene periti, febrem miliarem, atque adeo exanthemata ipſa, nuncupare Purpuram conſueverunt, alteram videlicet rubram, alteramque albam. Hæc vero multis omnino incongruens, ne quid gravius dicam, appellatio videtur, niſi forte credimus albam extitiſſe quamdam vetuſtis temporibus purpuram, quæ a PLUTARCHO memoratam eſſe ſcribitur *: ſed iſtud demum, qualecumque fuerit, jam nimis valde exoletum eſt. Atque inſuper animadvertere licet, jamdudum a Medicis Purpuræ nomen tum purpureis maculis, tum febri petechiali, inditum eſſe, & hactenus adhiberi. AUGENIUS, vir doctiſſimus, repoſuit Purpuram, ſic a majoribus dictam, in peſtilentium febrium numero: *Octava*, inquit, *febris purpura eſt, antiquis non incognita, in qua ſcilicet apparent maculæ quædam in totum corpus purpuraſcentes*. V. PAULINI *Prælect. Marc. pag.* 299. Utinam JOH. HENR. SCHULZE, quem in græcis & latinis litteris bene verſatum eſſe intelligo, inchoatum opus de barbaris ineptiſque vocabulis, quæ in artem noſtram irrepſerunt, aliquando perficere queat: laborem certe quidem ſibi moleſtum & gravem, ſtudioſis autem medicinæ pergratum, maximeque utilem ſuſcepit.

* V. REDII Adnotationes in Dithirambum, etruſca lingua *Bacco in Toſcana*.

nibus malignam, ſæpiſſimeque mortiferam. Jam vero in urbe primaria Hungariæ Superioris, Poſonio, idem morbus pervagari cœpit. Etenim RAYGERUS (1) in obſervationibus ſcriptum reliquit, anno 1672 ad curandam puellam ſe arceſſitum fuiſſe, quam continua febris vexabat cum exanthematis non rubris, ſed albicante humore pellucido plenis, a collo ad genua uſque diffuſis. Plane inſolitum RAYGERO viſum eſt ægritudinis genus: verum ancilla, tum aſſidens ægrotæ, ſe ipſam aliquando incidiſſe in ſimilem morbum teſtabatur; & quædam poſtea mulierculæ ad inviſendam puellam, interea dum eadem convaleſcebat, venientes, talia ſe conſpexiſſe in aliis exanthemata, & plerumque funeſta, narrabant. Sed ipſemet frequenter ab illo tempore vidit RAYGERUS adjunctas febribus, natura petechialibus, puſtulas translucidas, modo milii, modo piſi minoris magnitudine, interdum albas in modum variolarum; quibus eruptionem molientibus major æſtus febrilis antecedebat, anxietas pectoris, & cordis compreſſio. Hæc nimirum & alia tradidit Auctor in *Scholio*



(1) CAROLUS RAYGERUS Poſonienſis, vir litteratus, & rei medicæ valde peritus, qui MELCHIORIS SEBIZII auditor fuit, & FRANCISCI SYLVII, obiit anno D. 1707, ætatis ſuæ ſexageſimo ſexto. V. hujus Auctoris Obſervationem in *Dec.* 1. *Ephemer. Med. Phyſ. German. An.* 3. N. 281.

ad *Obſervationem 91* Spindleri, Poſonienſis quoque Medici, quippe qui multo ante illum miliares puſtulas in febribus animadvertit cum benignis, tum vero etiam malignis: namque infauſtum mulieris caſum anno 1648 peticulis affectæ commemorat, in qua tribus horis priuſquam ipſa mortem obiret, aquoſæ veſiculæ apparuerunt. Sub finem proximi ſæculi (ut ad Germanos redeam) cum Heidelbergæ commoraretur Joh. Conr. Brunnerus (1), & Philippoburgum profectus eſſet, ibi milites febre epidemica peticulari, comitem habente pleuropneumoniam, afflictos invenit, quorum hi præſertim moriebantur, quibus miliares etiam veſiculæ ſuperveniebant. Idemque de illuſtribus Feminis duabus mentionem facit, quas febris acerbiſſima corripuit Duſſeldorpii: in altera puſtulæ rubicundæ, poſtea recurrente morbo veſiculares prodierunt; eaque ſummis moleſtiis diu conflictata præter omnium ſpem convaluit. Aquoſæ & pellucentes, iterata quoque eruptione, puſtulæ fuerunt in altera muliere, quam morbi vehementia ſuſtulit. Atque ita novæ Brunnero viſæ ſunt id genus puſtulæ, quaſi cryſtallinæ, ut a nemine adhuc memoratas fuiſſe ſuſpicaretur. Porro autem circiter annum 1717 in quibuſ-

(1) V. *Miſcellan. Nat. Cur. Dec.* 3. *An.* 7. & 8.

buſdam Provinciis Brandeburgicis, & fere ſexennio poſt Francofurti ad Mœnum hæc lues graſſari cœpiſſe dicitur. Quo propemodum tempore, ut mihi poſtea ſcribebat LENTILIUS (1), facta eſt frequentiſſima in Tractu Wirtembergico (cum ante in Suevia perraro febris illa miliaris ſe oſtendiſſet) eademque multis quidem maſculis, præſertim vero puerperis infeſta erat: quamquam rarius inde bienni ſpatio accidiſſe id malum ſignificabat. In Palatinatu Rheni cum pervagatus jamdudum eſſet morbus, adhuc tamen ad finem uſque anni 1727 Baſileenſiſibus quaſi parcere civibus videbatur, ita ut JOH. RUD. ZUINGERUS per litteras certiorem me fecerit in decurſu quindecim annorum unicum hominem, eumque ſenem ſe vidiſſe acuta febri oppreſſum, cum albidis puſtulis & pellucidis, qui altera morbi hebdomada deceſſerat. Tum ego ad ZUINGERUM reſcribens vehementer optabam, ut patriæ ſuæ, in tanto ejuſdem, aliarumque regionum communi periculo, nihil pejus inpoſterum eveniret: neque aliud quicquam ab eo ſcriptum, etſi magna exſpectatio mea eſſet, poſtea accepi. Huc autem ex iiſdem, quas modo dixi, eximii viri litteris transferendum eſſe

G 3 lo-

(1) ROSINUS LENTILIUS DUCIS Wirtembergenſis Conſiliarius, & Archiater.

locum quemdam, & cum Lectoribus communicandum putavi: ſic igitur ille: *A clariſſimo* Binningero, *qui fuit Principi Montisbelgardenſi a Conſiliis Medicis, intellexi febrim miliarem apud ipſos vulgarem fuiſſe, ejuſque morbi ipſum multas habuiſſe obſervationes, quarum aliquas de ſcripto raptim nobis recitavit, quæ cum obſervationibus* Hamiltoni *admodum congruere videbantur. Eidem Principi ſuo, alias podagrico, tunc in quamdam apoplexiæ ſpeciem prolapſo, certe veſiculas miliares eum prædixiſſe audivi, & præſagio eventum reſpondiſſe. Atque ipſe quidem animadverſionibus ſuis mihi fidem fecit, ſe non incertas notas hujus morbi imminentis detexiſſe. Sed magno patriæ ſuæ damno diem obiit hic Medicus arte inſignis; de cujus ſcriptis, quid actum ſit, compertum non habeo. Inter Obſervationes editas a* Binningero *ejuſdem Patre, nulla occurrit de febre miliari; quod magno argumento eſt, vel prætermiſſum eſſe morbum tunc temporis, vel nondum, ut poſtea, vulgatum.* Hæc Zuingerus.

Reliquum eſt, ut luis hujuſce notitiam, & documenta quædam ex Britannica gente capiamus. Ac noſtram inprimis ſententiam confirmabat vir doctiſſimus & celeberrimus Hans Sloane (1), cum in Conſilio abhinc annis

(1) Eques Auratus, quondam Præſes Regiæ Societ. Anglicanæ; Regis GEORGII II Archiater &c.

annis viginti ad nos dato, minime dubium ſibi eſſe diceret, quin experientes olim Medici cum in ceteris Europæ locis, tum in Anglia, morbum ejuſmodi nonnumquam obſervaviſſent: qui tamen recenti ætate Britannos, perinde ut alias quaſdam nationes, frequentius divexaret, ubi familiaris non modo, ſed interdum epidemicus eſſet. Equidem in libro Thomæ Willisii, caput illud totum perlegens *de Putridis Puerperarum Febribus*, quamdam mihi videor perniciosæ febris miliaris imaginem videre. Namque iis propemodum ſymptomatis memoratæ ab Auctore puerperæ affligebantur, quæ in noſtratibus ſæpenumero animadverſa fuerunt; atque illarum per id temporis ægrotantium, ut aliquando noſtrarum, pars maxima interibat. Quæ autem a Willisio ſymptomata deſignantur, præcipua hæc ſunt: febris ut plurimum a rigore vel horrore initium ducebat; inde calor & ſudor, qui, licet aſſiduus, nihil proderat omnino; lochia parce fluebant, vel ſupprimebantur; inquietudo accedebat cum pervigilio; pulſus in ſtatu morbi vehemens & citatus; cordis palpitatio; præcordiorum oppreſſio; frequens reſpiratio; ſuſpiria; tinnitus aurium; capitis repletio; tendinum motus convulſivi; & circum viſcera, velut in hyſtericis, mira diſtentio & inflatio: alias

ſtupor, & affectus comatoſi; alias mentis commotiones & deliria; adeo ut humore praviſſimo, qui excerni debuiſſet, in cerebrum & nervos irruente, tum viribus proſtratis, pulſuque debili & inæquali, ægrotæ in mortem præcipites agerentur. Porro idem Auctor de prænobili juvene, & venuſta muliere narrat, quæ a facili partu ſatis bene ſe habere ad ſextum uſque diem perrexit: nihilominus die ſeptimo rigor eam corripuit, & febricula, cum lochiis imminutis; decimo increbuit febris, poſteraque nocte ſomnus vix ullus: mane inſequentis diei aperte delirabat; ſupprimebantur uteri purgamenta; horrebat corpus, & concutiebatur; tendines in carpis convellebantur, ut percipi pulſus haud facile poſſet, qui debilis erat & creberrimus: interim datis pharmacis & melius pulſabat arteria, & multus ſudor promovebatur, ita ut levis ſaltem aliqua ſalutis ſpes ſubfulgeret: ſed tamen paucis poſt horis ægrota elanguit, alvum copioſe dejecit, hinc plane reſolutis viribus conſumpta eſt. Atqui hujuſmodi caſus funeſti hic etiam clariſſimis & juvenibus feminis aliquoties inciderunt. Nullo quidem loco puſtulas commemorat Willisius, ſed maculas in quibuſdam ſaltem mulieribus purpureas. ubi vero acutum morbum exponit nobiliſſimæ puer-

pěræ

peræ, quæ octavo die deceſſit, præter alia ſymptomata, de hiſce peculiaribus meminit, qualia noſtris in febribus miliariis obſervata ſunt: *Palpebris*, inquit, *obductis, cum ſonitu & tinnitu in toto capite mille phantaſmata incurſabant . . . . aliquando cum primum dormitare cœperat, ſtatim perterrita, & in præcordiis aggravata expergiſcebatur. . . . videbatur ſui capitis magnitudo adaucta: quod ſimili ritu fit ac cum pes ſtupore correptus ſe ipſo longe major perſentiri videtur*: tum illud ſubjungit, quod peculiariter morbi naturam indicare poteſt, nempe *ſtuporem in toto corpore pungitivum*. Ceterum quod aliquarum dumtaxat puerperarum cutis interſtincta eſſet maculis; utique ſcimus in febribus, vi ſua & eſſentia peticularibus, aut miliariis, aliquando evenire, ut efflorescentia quædam perexigua, & ſenſum prope fugiens, immo nulla prorſus appareat. & mors quidem ipſa in vehementi febre miliari nonnumquam obtingit, priuſquam puſtulæ erumpere potuerint. Deinde compertum habemus maculas, vel exanthemata interdum ſub exitu morbi prodire; aut etiam, cum initio peticulæ ſe oſtenderint, miliares inde papulas exoriri. Quapropter niſi de tanto viro, eodemque ſollerti Philoſopho, atque Anatomico loqueremur, quantus profecto

fecto fuit WILLISIUS, dubitandum nobis eſſet, num ægrotantium cuti obſervandæ, & exanthematis quibuſque diſcernendis parem ipſe ac rebus ceteris, diligentiam adhibuiſſet. Enimvero VALLESIUS, ut alio loco diximus, & JOH. LANGIUS, & BALLONIUS (1) vel miliares ab HIPPOCRATE memoratas aſpredines, quod minus conſideraverint, a vulgaribus maculis, ſive peticulis nihil differre putaverunt. Ad ſummam pleræque febres illæ puerperarum atrociſſimæ, ſicut a WILLISIO expoſitæ ſunt, natura peticulares cenſeantur, per me licet; ſed morem præcipue miliarium, meo judicio, tenebant. Quamquam enim utramque inter ſpeciem magna cognatio ſit, miliaris tamen febris quaſdam proprietates habet, magis fraudulenta, & ſæpe nobis terribilior viſa eſt.

Jam

(1) Id in primis de BALLONIO mirari licet, quippe qui cutaneas eruptiones, ac puſtulas, toto ægrotantium corpore diffuſas, interdum ipſe viderit in febribus tertianis, & in quibuſdam continuis nec malignis, videlicet ab æſtu & fervore ſanguinis excitatas; idemque de aliis meminerit febribus, quas comitarentur ejuſmodi puſtulæ, ubi quid *cacoethes* ineſſet, propterea que ſuſpectas eſſe tradiderit. Hæc autem omnia cum obſervaſſet acutiſſimus, atque optimus interpres HIPPOCRATIS, cujus multa quidem involuta, & obſcura diligenter explanavit; quid eſt quod aſperitatem cutis miliaceam ad peticularem affectionem retulit? V Auctoris *lib.* 2. *Conſilior. Medic. in Comment. ad Hiſtor.* 5. ubi etiam LANGII peculiaris locus, qui ad hanc rem pertinet, deſcriptus invenitur.

Jam ſedulus ille medicinalium rerum obſervator, qui proxime WILLISIUM conſequutus eſt, SYDENHAMIUS, de miliaribus puſtulis mentionem fecit in commentariolo *De Novæ Febris Ingreſſu*. Hæc ſcilicet febris in decurſu anni 1684 Londinenſibus infeſta fuit civibus, cum proximo ſuperiore anno longe gravior atque epidemica in aliis Angliæ locis extitiſſet. ſæpenumero peticulæ, aut maculæ purpureæ, interdum miliares papulæ, morbillis non valde abſimiles, in cute efflorefcebant: atque hujuſmodi exanthemata, licet ipſius vi morbi nonnumquam erumperent, ſæpius a calido regimine, & abuſu cardiacorum, excitabantur, ut idem Auctor exiſtimavit. Ab eo tempore febres acutæ miliares, quæ proprie ſic appellantur, in Britannia frequentiores fuiſſe dicuntur; de quibus nihil porro litteris conſignatum a SYDENHAMIO accepimus, cum is deſinente anno 1689 e vivis exceſſerit. MORTONUS inde aquoſas commemoravit veſiculas miliares, ſed eas tantummodo, quæ media variolarum ſpatia occuparent, ab aliis etiam Medicis adnotatas. Ille autem ad claſſem morborum, qui vocari ſolent inflammatorii, cum varioloſas non ſolum, & morbilloſas, ſed miliares quoque febres referret; de hiſce & reliquis ex inflammatione

ne affectibus ſcripturum ſe aliquando ſperabat, ſi DEUS *vitam & otium dediſſet*; quemadmodum ipſe declaravit in *Præfatione* ad librum *De Febribus Inflammatoriis Univerſalibus*. num quid ejuſmodi ſcriptum Mortonus reliquerit, neſcimus: etenim anno 1698 ſub finem menſis Auguſti mortem obivit. Tandem vero Hamiltonus cum plurium ſpatio annorum obſervationes collegiſſet, *de Febri Miliari Tractatum* illum confecit, atque in lucem emiſit, qui unus de hoc argumento verſatus eſt diu in manibus Medicorum. nam deinde Germani quidam, Ettmullerum (1) ſubſequuti, de morbi ejuſdem natura, & curandi ratione accurate diſſeruerunt. Et Hamiltonum quidem ipſum fuiſſe multi exiſtimarunt, qui febres miliares cognoviſſet omnium primus in Anglia. Sed tamen in eo, quod ſupra citavimus, doctiſſimi Sloane ad nos Conſilio hæc plane verba leguntur: *Mihi*, inquit, *a Cl.* Bernardo (2), *percelebri Londinenſi Practico*

(1) Hic ſcilicet auctor multo ante HAMILTONUM de Purpura, ſeu Febre Miliari, ſed breviter ſcripſit nonnulla, quæ ſuis de Medicina Practica operibus inſeruit.

(2) Illum videlicet eumdem eſſe arbitror CAROLUM BERNARDUM, quem propter ſummam eruditionem atque experientiam tum profeſſionis, tum patriæ ſuæ decus & ornamentum fuiſſe dicit FREINDIUS in *Hiſtoria Medicinæ*: ubi etiam BERNARDI judicium de veteri & nova Chirurgia, perite eleganterque ipſius verbis expreſſum deſcripſit.

*ſtico, plures ante annos monſtrata* [ febris miliaris ] HAMILTONO *a me ipſo primum indigitata fuit* . Hoc præterivit in Præfatione utriuſque Tractatus ſui (1) HAMILTONUS ; tantum ſignificavit, ſtatim ut manuſcriptum codicem Typographo tradidiſſet, illud ſibi innotuiſſe ſingulare caput *de Febre Miliari Puerperarum*, quod in *Collegio Practico* ETTMULLERI inveniretur. Nihil autem mirum videri debet, ab auctore Anglo commemoratum non eſſe GOTTOF. WELSCHII libellum (2), extra Germaniam vix cognitum, quippe cujus perpauca in publicum prodiiſſent exemplaria, neque alia deinde, quod ſciam, ab anno 1655 ejuſdem editio facta eſſet; ita ut in tranſalpinis urbibus cum ſæpe olim perquirendum exemplar curaſſem, in quadam denique taberna libraria fortuito inventum ſit. De MERCKLINO potius mirari licet, Norimbergenſi Medico, quod in *Lindenio Renovato*, ubi alterum denunciatur opuſculum WELSCHII *de Lethalium Vulnerum Judicio*, alterum *de Novo Puerperarum Morbo* prætermiſſum fuerit: cum alioqui ſcripta, quæ-

(1) Simul enim Auctoris *Tractatus duo* prodierunt; *Prior de Praxeos Regulis*; *Alter de Febre Miliari*. *Londini* 1710. *Ulmæ* 1712.

(2 Neque ETTMULLERUS ipſe de opuſculo civis ſui, atque, ut arbitror, præceptoris WELSCHII mentionem fecit, ideo fortaſſe quod brevem de miliari febre ſermonem inſtituit.

quæcumque noverit, in exteris & longinquis locis edita, ad Lindenianum Indicem Mercklinus adjecerit. Sed mittamus hæc, quæ ad hiſtoriam febrium miliarium parvi momenti ſunt: atque etiam ſatis exteras regiones pervagati, nunc tandem ad ſubalpinam, patriamque noſtram veniamus.

Anni ſunt amplius duo & triginta, cum Auguſtæ Taurinorum mihi una cum aliis Medicis primum contigit, ut acutam febrem miliarem in quadam nobili Virgine obſervarem. præcipua, quæ reminiſci poſſum, hæc erant ſymptomata: acerbus lateris dolor; difficilis reſpiratio; pulſus valde concitatus; aſſidua non modo vigilia, ſed etiam corporis diu noctuque immoderata jactatio; ut in ſummo vitæ periculo ægrota verſari ad decimum uſque diem videretur: tum vero puſtularum eruptio, limpidum humorem continentium, & ea quidem ex improviſo facta eſt, nobis nihil tale cogitantibus: poſtea febris, & ſymptomata paullatim omnia remiſerunt: denique adoleſcentula, non ſine multorum admiratione, convaluit; atque etiamnum vivere hanc illuſtrem optimamque feminam auditione accepi. Biennio poſt unus ex iis, quos modo dicebam, Medicis, ad curandam mulierem accitus fuit, atrociſſimo id genus morbo la-

laborantem, quæ nullis tamen remediis adjuvari, neque inſtantem mortem effugere potuit. Porro alius quidam medicæ artis bene peritus, atque ingenuus vir, certiorem me faciebat de miliari febre, quæ item letalis fuiſſet juveni puerperæ, triennio prius quam caſus ille ante memoratus nobili Virgini obtigiſſet. Jam vero inſequentibus annis identidem aliquæ a partu mulieres hac perniciosa febre corripiebantur; ac pedetentim eadem lues magno omnium terrore percrebuit. etenim ſolis aliquandiu puerperis, maximeque illuſtribus matronis, infeſta fuit, adeo ut nonnullæ etiam, cum ſalutis non exigua ſpes præluxiſſet, miſerabiliter occubuerint: deinde plures alias promiſcue, nec minore feritate invadere cœpit, atque perrexit. Quapropter afflictæ conjuges, dum uterum gerebant, multoque magis florente ætate nobiles, quam ceteræ, pariendi laborem, & quemcumque cruciatum parvi facientes, illud unum horribile malum, quippe quod ſibi facile eventurum ſingulæ putarent, cum triſtitia & angore dies noctesque animo agitare ſolebant. Ac melior quidem eorum hominum videbatur conditio, qui peſtilentia ipſa ſemel affecti fuiſſent. nam de qualibet peſte illud tritum & vulgare eſt, quod ſpecialiter de Attica prodi-

dit

dit Thucycides: a ceteris, inquit, omnibus beati dicebantur qui evaſiſſent, præcipue quod quemquam morbus iterum corripere ſolitus non eſſet, ſaltem non extingueret. ex miliari autem febri recreatæ mulieres idem ſubire ſe periculum ex altero puerperio prænoſcebant, earum ſcilicet exemplo edoctæ, quæ denuo hanc luem contraxerant, unde etiam ex his aliquæ diem obierant. Sed progreſſu temporis communem utrique ſexui ſe morbus oſtendit, pueris, adoleſcentibus, matura ætate, nonnumquam provecta hominibus: id quod feminis uterum gerentibus, ut in communi calamitate, ſolatium afferre potuiſſet, niſi tum inſuper timendum ſibi eſſe, vel extra graviditatem, intellexiſſent: tametſi a prægnatione & partu fiunt illæ ad morbum prodiviores. Fortunata quidem in tali rerum ſtatu cenſebatur plebecula, malo huic teterrimo longe minus obnoxia; adeo ut in Taurinenſi Noſocomio, ubi parituris mulieribus hoſpitium jamdiu eſt conſtitutum, earum adhuc nulla incidiſſe in malignam febrem miliarem diceretur. Tanti enimvero momenti eſt ad valetudinem tuendam ſimplicioris victus ratio, & certa quædam temperatura & habitudo corporum; ut eadem prop-

propterea non ita facile a morbiferis quibuſdam cauſis lædantur.

Quæ autem per aliquod temporis ſpatium propria hujuſce urbis, & peculiaris habita fuit calamitas, ſenſim Pedemontanam regionem longe lateque pervaſit. Etenim abhinc annos viginti cum ex provincialibus Medicis quærerem, quidnam ſibi cognitum perſpectumque eſſet de omni genere febrium miliarium; alii tantummodo benignas in pueris, & adoleſcentibus; alii in quaque ætate nonnullas continuas, fere putridas, cum vermibus conjunctas ſe obſervaſſe narrabant. Deinde vero nobis identidem nuntii afferebantur de miliariis febribus, quæ ubi locorum perniciosæ numquam antea, vel admodum raro inciderant, tales jam aliquoties, aut ſæpius, apparuiſſent: ita ut pauci denique Pedemontani tractus inveniantur, ad quos citius aut ſerius non idem malum permanaverit. Sed tamen haud pari feritate ac frequentia provincias, urbemque noſtram continenter hic morbus affligit; cujus etiam apud Germanicam Gentem viciſſitudines quæ-

 dam

(1) Præter alia, quæ olim de febre miliari nobiſcum communicavit FRID. HOFFMANNUS, illud præſertim expreſſum eiſdem ipſius verbis hic adnotamus. *Epidemice*, inquit, *rarius quidem graſſari ſuevit; quandoque tamen poſt inſolitam nimis fervidam æſtatem, vel tepidam hieme conſtitutionem aeris, quam pluvioſa & frigida diuturna excipiat tempeſtas. populares habet circuitus.*

dam ſunt (1); ut illud plane inſolens cenſeri debeat, quod ſupra ex Gottofr. Welschio tradidimus, per triennium adeo communem, & mortiferam puerperis Lipſienſibus miliarem luem exſtitiſſe (1). Vertente quidem anno 1726 magnam hominum ſtragem fuiſſe in Thuringia, & Francofurti ad Mœnum nos quondam certiores fecit Hoffmannus. In Tractu Wirtenbergenſi (ut alibi diximus auctore Lentilio) cum aliquandiu graſſatus eſſet morbus, idemque multis funeſtus, deinde tamen per biennium rarius interveniebat. Ac febrium petechialium ſimilis ratio eſt, quæ ſcilicet in fatalia quædam tempora incidere videntur, & interim, ad earum morem quod attinet, inordinate, vel gradatim decedunt, aut increbreſcunt. ſic docet Loewius in *Conſtitutione Epidemica Sempronienſi An.* 1704, *menſe Februario valde benignas fuiſſe petechias, Martio pejores, Aprili peſſimas*. Item variolæ & morbilli, & aliæ præterea ægritudines, ſive ob evidentes cauſas, ſive abſconditas, diverſo gradu & circuitu humanum genus vexare ſolent. Ut autem ad no-

(2) Ubi morbos diverſi generis nominatim exponit ADOLPHUS, Lipſiæ graſſantes per annum 1720 a Junio menſe ad Decembrem, nullam de febribus miliariis mentionem facit; quod ſane mirum videtur. V. *Acta Acad. Nat. Cur. Vol.* 1. *Obſ.* 1.

noſtrates redeam febres miliaceas, hæ modo plures, modo pauciores obveniunt; aliæ omnino graviſſimæ, aliæ minus moleſtæ ac periculoſæ, quin etiam aliquæ ita mites ſunt, & malorum ſymptomatum expertes, ut vitæ diſcrimen afferre penitus nullum videantur. quamquam ne his quidem fidere ſollertes expertique Medici conſueverunt, uſque dum procedentis morbi, non raro fallacis, rationem & viam intento animo perſequuti, revera ſalutarem exitum fore cognoverint (1). Ceterum ex eo genere febrium miliarium, quæ graviſſimæ ſunt ac perniciosæ, prudenter delectis & opportune datis remediis, maximeque illius egregiæ curatricis Naturæ opera, non pauci ægrotantes, aliquando etiam ad extremum perducti, mirabiliter ab imminentis interitus periculo vindicantur.

Quo autem luctuoſo tempore febrem miliarem in hac urbe infeſtam illuſtribus præſertim matronis, quæ recens peperiſſent,



(1) Huc ſpectare potiſſimum videtur, quod BALLONIUS admonet *Epidemior. lib. 2. Perſeverante*, inquit, *febre licet miti non ita ſecuros eſſe oportet, quin ſemper aliquid ſiniſtri pertimeſcamus, ut omni nos calumnia liberemur: multa enim bonos Medicos latent; id quod* GALENUS Comment. in lib. Prorrhet *abunde demonſtravit*. Atque hæc quidem providentia ægrotis maxime utilis eſt: namque in his percurandis longe majorem diligentiam operamque ponunt Medici, ubi morbum, aſpectu lenem, temporis decurſu ingraveſcere adhuc poſſe animadverteriat.

ac ſæpe mortiferam fuiſſe diximus; juſſu REGIS Auguſtiſſimi aliquoties convocati ſunt præſtantes in arte medica viri, ut ſuas inter ſe obſervationes communicarent, ac de regimine gravidarum mulierum, deleƈtuque remediorum in curandis puerperis judicium ſuum proferrent. ſimul inciſiones cadaverum fieri cœperunt, quæ poſtmodum, in cives feminas propagata lue, multo frequentius inſtitutæ ſunt. ego nonnullis primum interfui; deinde vir (1) plane idoneus tali ac tanto muneri obeundo præpoſitus fuit, qui de ſingulis rebus diligenter obſervatis retulit, ſuamque ſententiam expoſuit. Ab exteris præterea Medicis celeberrimis petitum fuit conſilium, ut in eo caſu acerbiſſimo nihil eſſet prætermiſſum, quod publicæ ſaluti profuturum videretur. Hæc videlicet annis abhinc viginti peraƈta ſunt. Itaque per id temporis, & deinceps multa collegi, quæ ad idem argumentum pertinerent, ſive in curandis ægrotis adnotata, ſive a Scriptoribus, atque a noſtratibus Medicis deſumpta, qui me officioſe obſervationum ſuarum participem facere ſolebant. ſed eas promiſcue res omnes, prout occaſio data erat, una cum animadverſionibus quibuſdam

(1) Cl. BIANCHI Primarius tum Profeſſor Anatomicus in Regia Taurinenſi Academia, nunc etiam Magiſtratus Medici Princeps, vulgo *Capo del Protomedicato*.

dam meis, in adverſaria contuli; quibus accurate recognoſcendis, & in ordinem collocandis hactenus tantum otii, quantum eſſet ſatis, habere non potui. Nunc autem mihi viſum eſt de miliarium febrium antiquitate & progreſſu, qui recenti ætate maximus, ac prope incredibilis fuit, jamdiu inchoatam hanc diſſertationem, & denique abſolutam, emittere.

---

*IMPRIMATUR.*

*Vicarius Generalis S. Officii.*

*V. C. Guidetti P. & R.*

*Se ne permette la Stampa.*

*Marozzo per la Gran Cancelleria.*

Digitized by Google

# ERRATA.

Pag. 20. *lin.* 18. pane *leg.* pæne. *p.* 37. *l.* 26. ac *leg.* ut *p.* 38. *l.* 1. ſuſtulerit *leg.* penitus ſuſtulerit. *p.* 51. *l.* 12. inſeriore *leg.* interiore. *p.* 52 *l* 13. Germania *leg.* Germaniam. *p.* 58. *l.* 2. granis *leg.* maculis. *p.* 59. *l.* 23. exortis *leg.* exortæ. *p.* 70. *l.* 26. Ananbergenſes *leg.* Annabergenſes. *p.* 77. *l.* 4 Olyſſiponæ *leg.* Olyſſipone; *l.* 17. generis puſtulas *leg.* generis eſſe puſtulas.

*Quæ reliqua ſunt menda leviſſima, Lector ipſe corrigat.*

Digitized by Google

[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

[illegible]

Digitized by Google